DISSERTATIO POLITICA INAGURALIS,

CONTINENS

HISTORIAM BELLI DE SUCCESSIONE AUSTRIACA, ET PACIS, QUAE INSECUTA EST, AQUISGRANENSIS.

DISSERTATIO POLITICA INAUGURALIS,

CONTINENS

HISTORIAM BELLI DE SUCCESSIONE AUSTRIACA, ET PACIS, QUAE INSECUTA EST, AQUISGRANENSIS,

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

JOANNIS RUDOLPHI THORBECKE

JUR. R. ET H. D. ET PROF. ORD.,

NOBILISSIMAE FACULTATIS JURIDICAE DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN JURE ROMANO ET HODIERNO HONORIBUS

AC PRIVILEGIIS,

In Academia Lugduno-Batava,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

DEFENDET

CHRISTIANUS JOHANNES VOLCK,

LEOVARDIENSIS.

AD DIEM XXV MAJI MDCCCXL, HORA I—II.

LUGDUNI-BATAVORUM,

APUD J. H. GEBHARD ET SOCIOS.

MDCCCXL.

EX TYPOGRAPHEO J. G. LA LAU.

Parentibus.

DISSERTATIO POLITICA INAUGURALIS,

CONTINENS

HISTORIAM BELLI DE SUCCESSIONE AUSTRIACA, ET PACIS, QUAE INSECUTA EST, AQUISGRANENSIS.

INTRODUCTIO.

Austriaca e stirpe Habsburgi domus ubi, quaecunque susciperet negotiis prospere evenientibus, ita crevit potentia, ut orbi universo imperare velle accusaretur, et unius vix Francici Regni auctoritas

ei opponi posset, exorta est ratio illa politica, quam vocant *systema aequilibrii*, quod non magis, ne Regna potentiora extenderentur, quam minuerentur, caveret, illudque, ut Austriae et Franciae potestas suo vicissim momento coercerentur, spectaret praecipue.

Contra Austriam primum, placataque pace Westphaliensi Europa, contra Franciam tuendum fuit hoc systema. Repetitos saepius LUDOVICI XIV ad imperium augendum conatus, quibus quantis viribus resistendum fuerit novimus, repressit tandem pax Ultrajectina; quae ut stabilis maneret perpetuamque omnibus quietem servaret, Europae moderatorum deinde cura fuit.

At, mortuo a. 1740 CAROLO VI Imperatore, bellum Francia imprimis auctore exarsit, quo dissolvenda videbatur monarchia Austriaca, dirimendumque systema aequilibrii. In hujusce belli causis exquirendis, foederibus, conventis pacificationibusque, quanta eo durante sint condita, explicandis, et pacis Aquisgranensis, qua tantae status Europae

politici conversionis metus evanuerit, negotiationibus enarrandis munus meum versabitur.

Pauca his adjicere liceat de origine belli, eodem tempore inter Anglos et Hispanos gesti, itaque cum eo, quod nobis tractandum sit, commixti, ut, quamvis a proposito nostro alienum sit, silentio tamen praetermitti nequeat, cum utrumque etiam bellum uno eodemque modo sit compositum.

Conventione, *Assiento* dicta, a. 1713 inter M. Britanniam et Hispaniam inita, Societati Anglicae Maris Meridionalis privilegium concessum erat servorum in Americam Hispanicam importandorum, uniusque in urbem Portum-Bellum annuae mittendae navis mercibus Europaeis oneratae. Qua re cum Angli abuti viderentur, prohibitaque commercia (*sluikhandel*) in colonias Americanas valde increscerent, Hispani haec impedire severiore forte modo conati sunt: ab Anglis certe injuriarum ipsorum navibus in alto mari allatarum, in iisque indagandis insolentiae haud ferendae accusabantur. Accedebat, quod jam dissensiones essent de provinciae Georgiae

possessione, quam sibi utrumque Regnum vindicaret. Cum autem paci conservandae valde studerent Regis Angliae administri, rei mederi tentarunt conventione cum Hispania in palatio regio *Pardo* pacta: quam vero cum exsequi nollet Rex Hispaniae, et vehementer improbaret populus Anglicus, bellum jam diu imminens a. 1739. m. Oct. a Rege Angliae declaratum est. Qualem habuerit eventum, infra videbimus.

CAPUT I.

CAUSAE BELLI.

Carolus VI, Germaniae Imperator, nulla re, quamdiu regnavit, magis fuit sollicitus, quam ut regna post mortem, cum prole mascula esset orbatus, cederent filiae natu majori, MARIAE THERESIAE, quae nupsisset FRANCISCO, Duci Lotharingiae, postea Magno Duci Etruriae. Veritus, ne Regnum Austriacum, quod Principes stirpis Habsburgensis semper, quantum potuissent, integrum servassent, distraheretur, a. 1713 novum instituit successionis ordinem, quo cavit, »ut, si masculi e linea sua »non exstarent, ipsius filiae succederent et prae»ferrentur filiabus fratris mortui, JOSEPHI I, ultimi »Imperatoris, ita ut filia natu major minori ante»cederet, solaque esset heres omnium, quae pater

» tempore mortis possideret, Regnorum." Curavit deinde hanc, uti vocatur, *Sanctionem Pragmaticam* ab ordinibus regionum Austriacarum hereditariarum, et ab ipsis JOSEPHI filiabus earumque maritis, Electoribus Saxoniae et Bavariae, agnoscendum et comprobandum. Multum vero laboris et temporis impendit ad singulis Europae principibus persuadendum, ut se ad fidejubendam Sanctionem Pragmaticam obligarent: quodcunque autem iniret pactum, illam fidejussionem tamquam conditionem adjungi voluit. Quod cum continuis negotiationibus et concessionibus ansam praeberet, in rem suam vertere optime sciverunt externi Principes, pro nuda sponsione certa sibi commoda stipulati. Accesserunt deinceps *Hispania*, art° 12. foederis Viennensis d. 25 m. Apr. a. 1725, *Russia* illi foederi adhaerendo pacto d. 6 m. Aug. a. 1726, iterum, Imperatore aaccedente foederi inter ipsam et *Sueciam* icto, et denuo, una cum *Dania* foedere Codaniense d. 26 m. Maji a. 1732; *Elector Bavariae* agnovit Sanctionem Pragmaticam foedere inter ipsum, *Electorem Coloniae* et Imperatorem concluso d. 1 m. Sept. a. 1726, et rursus Elector Coloniae foedere cum Imperatore d. 26 m. Aug. a. 1731; *Rex Borussiae*

se obligaverat pacto Wusterhausensi d. 12 m. Oct. 1726, verum conditionibus non impletis, pactum habebatur vi esse destitutum. *M. Britannia* et *Ordines Generales Provinciarum Unitarum* sponsionem dedere pacto Viennensi d. 19 m. Mart. a. 1731, *Imperium Germanicum* rescripto d. 11 m. Jan. a. 1732, et *Francia* denique art° 10 pacis Viennensis a. 1738, cui sequente anno accesserunt Hispania, *Sicilia* et *Sardinia*.

Itaque Principum fide magis quam thesauris armisque, quorum curam plane neglexerat, fretus, CAROLUS VI mense Octobri anni 1740 diem supremum obiit, Regno MARIAE THERESIAE relicto. Statimque Sanctione Pragmatica ipsiusque fidejussione rejecta, undique prodierunt successionis Austriacae petitores.

Francia (ut ab illa initium faciamus), inter quam et Austriam ab antiquis inde temporibus perpetua intercesserat aemulatio, Regni Austriaci frangendi et inter minores Principes, qui Franciae potentiae et consiliis obstare nequirent, dividendi occasionem avide arripuit. Quamvis primus LUDOVICI XV administer, Cardinalis DE FLEURY, pacis conservandae studiosus, obligationes contractas laedi nollet, vicit tamen factio quaedam aulicorum, bello faventium,

cui praeerant fratres DE BELLISLE. Praetextum fuit, Regem se nulla re erga Austriam obligatum haberi, cum instrumento, quo Sanctionem Pragmaticam accepisset, apposita essent verba: *salvis juribus tertii*; illique, cum Imperator foederis articulum, quo promisisset se Principes Imperii Germanici ad illud foedus confirmandum perducturum, sine effectu reliquisset, aeque liberum esse Reginam Hungariae et Bohemiae vel aggredi vel agnoscere nullis omnimodo violatis sponsionibus. Ut Francia revera primas in bello contra Austriam partes sustinuerit, Principibus, quos in Reginam Hungariae concitare laboraverat, se sociae tantum nomine addidit, copiasque quas vocabat auxiliarias praestitit: non nisi a. 1744 bellum solemni forma aulae Viennensi declaravit.

Illorum, qui sibi jus in hereditatem Austriacam arrogabant, praecipuus erat CAROLUS ALBERTUS, *Elector Bavariae.* Uxoris, quae JOSEPHI I filia erat natu minor, jura cum majori cedere deberent, maluit hereditatem petere tanquam ortus ex ANNA, filia FERDINANDI I Imperatoris. Hujus autem testamenti exemplum protulit, secundum quod deficientibus posteris *masculis*, filia ejus natu major, hujusque posteri heredes essent; et insuper con-

tractum nuptialem ANNAE, quod idem probaret, attulit. Sed aula Viennensis originali testamenti instrumento depromto, ubi pro voce *masculis* legeretur *legitimis*, exempli fidem omnino infirmavit.

FREDERICUS AUGUSTUS, *Elector Saxoniae*, *Rex Poloniae*, uxorem duxerat filiam majorem natu Imperatoris JOSEPHI, et quamvis agnovisset Sanctionem Pragmaticam ad eamque tuendam se obligasset, Franciae instigationibus cessit, ut ipse etiam jura uxoris in Regna Austriaca revocaret, fretus instrumento successionis a. 1703 inter LEOPOLDUM Imperatorem et filios JOSEPHUM et CAROLUM constituto, quo JOSEPHI filiae potiores filiabus CAROLI succederent. Suo etiam nomine Rex Poloniae se Ducatus Austriae et Stiriae petere declaravit. Contendebat, hereditarios illos Ducatus, mortuo a. 1268 ultimo e stirpe Babenbergia Duce Austriae, cujus filia nupsisset ALBERTO, Landgravio Thuringiae, e quorum filio Rex genus duceret, contra jus et fas ab OTTOCARE, Rege Bohemiae, et deinde a RUDOLPHO, Comite Habsburgi, fuisse occupatos.

PHILIPPUS V, *Rex Hispaniae*, conventionem opposuit, qua PHILIPPUS III, Rex Hispaniae, a. 1617 jus suum in Silesiam, Moraviam, Lusatiam aliasque

regiones cesserat FERDINANDO, Duci Graiaci, (qui postea Imperator FERDINANDUS II) ita tamen, ut reverterentur ad lineam Hispanicam, si quando deficeret mascula lineae Austriacae progenies; quam eandem statuebat exceptionem donatio inter vivos Archiducatus Austriae cum omnibus dependentibus regionibus a CAROLO ALBERTO, Archiduce Austriae, MATTHIAE Imperatoris fratre atque herede facta eidem FERDINANDO fratri patrueli. Et hoc quidem praetextu ab aula Madritana totum petebatur Regnum Austriacum; revera ita se res habebat: ELISABETHA, Parmae Ducissa, quacum Rex PHILIPPUS secundas inierat nuptias, maxima in rebus publicis gerendis valebat auctoritate; ante omnia vero filiorum, quos Regi genuerat, spectabat commodum, eoque jam perduxerat, ut alter ad Regnum Neapolis et Siciliae pervenisset, nunc autem opportuno tempore uti volebat, ut alteri quoque quemdam Italiae Principatum Austriae detrimento consequereretur.

Rex Sardiniae, CAROLUS EMMANUEL III, appetebat Ducatum Mediolani. CAROLUS V a. 1549 edixerat, ut ejus filii PHILIPPI, si exstincta esset mascula progenies, filiae primo gradu et deinde harum posteri masculi in illum Ducatum succederent. Rex Sar-

diniae, ex una filiarum PHILIPPI originem ducens, jam inde a morte CAROLI II, Regis Hispaniae, illo jure uti potuerat, tantoque magis id hoc tempore sibi licere existimabat, cum mortuus esset Imperator CAROLUS VI, ultimus filiorum, qui e filiabus PHILIPPI II nati essent.

Constans semper Principum Sabaudicorum fuit consilium ditionis, ubi ferret occasio, extendendae: in bellis potentiorum Principum semper illius partes sequebantur, quem fortiorem censerent, nihil curantes, num sibi justa bellandi esset causa. Quis miretur, Regem Sardiniae, ut sua etiam spolia e successione Austriaca deferret, prodiisse.

Unus FREDERICUS II, *Rex Borussiae*, Sanctioni Pragmaticae non resistebat, sed successionis quamdam partem, de qua disponendi facultatem CAROLO VI. fuisse negabat, sibi repetebat. Antiqua enim proferebat jura in Silesiae Ducatus Carnoviam (*Jägerndorff*), Lignicium (*Liegnitz*), Bregam (*Brieg*) et Volaviam (*Wohlau*), et dominia *Beuthen* et *Oderberg*, quibus Austriam Marchiones Brandeburgios spoliavisse ostendebat.

Carnovia enim, Beuthen et Oderberg, quae seculo XVI. emerat GEORGIUS, Brandeburgi Marchio,

quaeque Elector JOACHIMUS FREDERICUS a. 1607 filio juniori JOANNI GEORGIO donaverat, cum hic pro Electore Palatino, Rege Bohemiae electo, arma gessisset, a FERDINANDO II Imperatore erant publicata. FREDERICUS II contendebat, injustum fuisse, etiamsi JOANNES GEORGIUS culpam contraxisset, pro eo poenas luere filium, quem haberet, minorem, vel etiam lineam Brandeburgi Electoralem: pacta enim familiae hujus prohibere, quo minus ejus dominia in perpetuum alienarentur, itaque Carnoviam ad lineam Electoralem redire debere, si exstingueretur altera.

Ducatus Lignicii, Bregae et Volaviae, mortuo ultimo Duce Lignicii *Piasta*, domus Brandeburgia expoposcerat ut suos factos vi *pacti confraternitatis* inter ambas familias a. 1537 conclusi. Duces Lignicii a. 1329, ad quem usque annum summi in sua ditione imperantes fuerant, se vasallos Regi Bohemiae dederant, salvo tamen jure, ut de successione in Ducatus suos libere disponerent. Quos cum Austria nihilominus sibi adjunxisset, ad litem componendam a. 1686 cum Electore FREDERICO GUILIELMO pepigit, ut ille jura sua in illam Silesiae partem dimitteret, et circulum *Schwibus* contra consequereretur (levis-

simum sane pro tanta jactura emolumentum); quod tamen pactum, recuperato ab Austria a. 1695 circulo, non impletum, adeoque nullum factum videbatur.

Ut ceteri petitoris sua quisque jura in successionem Austriacam, quae per Sanctionem Pragmaticam erant sublata, tuenda renuntiaverant Sanctionis fidejussione, non ita obligatus erat FREDERICUS II. Pactum enim Wusterhausense a. 1727, quo FREDERICUS GUILIELMUS fidejussionem spoponderat, non erat ratificatum, cum Imperator non implevisset conditionem, quam Rex ratificationi suae statuisset. Pacto altero secreto, concluso Berolini d. 23 m. Dec. a. 1728, denuo Rex Borussiae se Sanctionem fidejussurum esse promiserat, hac sub conditione, ut Imperator eum in possessionem mitteret Ducatus Montium (*Berg*) et Comitatus Ravensteinii, si masculi e familia tunc regnante Palatina Neoburgi (*Neuburg*) exstinguerentur: quae si lineae Sulzbachianae Principatus suos cederet, expresse provisum erat, ut censeretur exstincta respectu regionum hoc pacto stipulatarum. Cum vero CAROLUS VI in foedere d. 13 m. Jan. a. 1739 cum Francia Versaliis icto concessisset Ducatus Montium et Juliaci (*Gulik*) ex-

stincta linea Neoburgia ad tempus duorum annorum Sulzbachianae fore remissuros, (ubi praeterea contra Regem Borussiae hoc vindicandum esse additum esset,) poenam tulit art° 13 foederis a. 1728 in eum qui contra ageret statutam, ut alter non teneretur obligationibus quas contraxisset (1).

Nequaquam vero horum jurium momento FRIDERICUS ad bellum Reginae Hungariae inferendum fuit adductus. Vix conamina sua tali praetextu ornare voluit. Regnum Borussicum, cujus unice prosperitati prospiceret, ita extendendum cogitabat, ut inter primaria locum occuparet. Gloriae avidus, abundanti thesauro exercitatisque copiis instructus, Silesiae sibi subjungendae consilium ceperat. In opere, quod ipse confecit, inscripto: *Historia sui temporis*, dubitavisse se dicit (2), utrum jura tueretur in Silesiam, an sibi Ducatum Montensem devincere tentaret, quem perpetuo patris politice finem spectasset. sed hinc cum multae eum diffi-

---

(1) Vid. SCHÖLL, *Histoire des Traités de paix*, t. II. p. 293, et qui ibi laudatur, DOHM. *über den Deutschen Fürstenbund*, p. 76.

(2) *Histoire de mon temps*, t. I. p. 117.

cultates advocarent, et pacem cum Francia rumpere fuisset coactus et exercitus in remotissimos Imperii fines traducere, maluisse se minore cum periculo Silesiam invadere.

CAPUT II.

HISTORIA NEGOTIATIONUM DURANTE BELLO.

Foedus Nymphenburgi d. 18 m. Maji a. 1741. inter Franciam, Hispaniam et Bavariam ictum an revera exstiterit, diu fuit dubitatum. Quod inde factum videtur, quod Paciscentes tam diligenter illud occultare studuerint. Quamvis autem de re ipsa satis constet, foederis conditiones non innotuerunt, quaeque non multo post initum foedus in vulgus exierunt, a Francia fictae et ad suspiciones movendas compositae declaratae sunt (1). Quod tamen non plane impedit, quo minus fidem illis tribuamus. Argumentum huc redit:

(1) Cf. WAGENAAR, *Vad. Hist.* t. XIX. p. 317.

Francia Electori Bavariae exercitum praebebit 12000 peditum et 4000 equitum, quibus, simul atque in Bavariam advenerint, stipendia solvet Elector.

Rex Franciae comparabit exercitum 14000 peditum et 6000 equitum, qui iisdem conditionibus Electori praestabuntur, si illis opus esse videbitur.

Articulis separatis Regem Franciae pollicitum esse, ajunt, se 60000 militum trans Rhenum missurum ad urgendam electionem Electoris Bavariae ad Imperium Germanicum (quippe qui dignitatem Imperatoriam appeteret), seque Electori pecunias daturum mutuas; Regem porro pactum esse, ut ab Imperio reciperet ea quae in bellum impenderet, et, si in Belgium arma verteret, omnia quae ibi expugnaret, in potestate sua retineret; denique, Regem Hispaniae Electori subsidium promisisse menstruum 12000 aureorum (*piastres*) ad sustinendos 12000 milites (1).

Addunt alii, Franciae Regem etiam promisisse, se effecturum, ut Elector Bavariae, Imperator factus, hoc titulo agnosceretur; Electorem contra, se numquam tentaturum urbes et regiones, quibus

(1) Vid. SCHÖLL, Op. l.

Francia in Imperio potiretur, recuperare, et *foedus propugnaculi* cum Ordinibus Generalibus initum soluturum (1).

Foederi Nymphenburgi accesserunt deinceps Rex Borussiae, cui Francia Silesiae Inferioris possessionem fidejubebat, et Rex Poloniae, tanquam Elector Saxoniae. Inter hunc et MARIAM THERESIAM d. 11 m. Apr. a. 1741 Dresdae foedus praeparatum erat, quo Rex agnosceret, non obesse Sanctioni Pragmaticae, Reginam Hungariae sibi M. Ducem Etruriae adscivisse collegam Regno administrando, et promitteret, se non impediturum, quo minus illa suffragium ferret Electorium tanquam Regina Bohemiae. Nonnulli enim Electores, et Saxoniae praecipue, hoc jus illi competere negabant: Regnum enim Bohemiae vacare contendebant, et M. Ducissam Etruriae, etiamsi optimo jure Bohemiam eam possidere fingerint, suffragium tamen ferre non posse neque ipsam neque per procuratorem, cum Aurea Bulla dignitatem Electoriam expressis verbis viris delegasset, et sanxisset, ut, si cui cederet, qui ad illud officium non esset habilis, proximus cognatus

(1) Cf. WAGENAAR, l. l. p. 316.

ejus locum occuparet (1). Pro hac igitur indulgentia videtur Regina partem Bohemiae Regi Poloniae spopondisse. Quod tamen foedus ne Rex ratum haberet, et ut adversas partes sequeretur, Franciae effecere artificia.

De successione Austriaca dividenda foederatorum haec erant consilia: Regnum Bohemiae, Austria Superior, Tirolis et Brisgoïa cederent Electori Bavariae; Moravia et Silesia Superior cum titulo regio Electori Saxoniae; Silesia Inferior Regi Borussiae; Longobardia Austriaca Hispaniae. Maria theresia retineret Regnum Hungariae, Belgium, Austriam Inferiorem, Stiriam, Carinthiam et Carniolam.

Mense Februario a. 1741 Regina conata erat foedus inire cum Rege M. Britanniae, Rege Poloniae, Imperatore Russiae et Ordinibus Generalibus adversus Regem Borussiae, quem tunc solum adhuc hostem habebat, ut ejus possessiones Paciscentes inter se dividerent. M. Britannia et Ordines e re sua judicaverant, non sinere Regnum Austriacum dividi. Neque Ordines auxilia, quae secundum foedus Viennense a. 1732 debebant, mittere negabant, cum vero

---

(1) Cf. Aur. Bull. C. XXV. art. 2. et C. VII. art. 6.

ne Franciam offenderent metuentes, tum se parum profecturos arbitrati, si majorum Principum dissensionibus se immiscerent, potius bellantibus conciliandis operam dederunt (1). Anglia, quamvis bello cum Hispania esset implicita, et pacem etiam cum Francia rupturam fore prospiceret, foederi Viennensi satisfacere parata erat. Itaque, cum pacti a Regina propositi ratificationi quaedam obstarent difficultates, solus Rex GEORGIUS II, tunc temporis Hannoverae degens, ibi cum MARIA THERESIA d. 24 m. Jun. foedus icit: quo se obligabat ad mittendum exercitum auxiliarem 12000 militum et ad praestandam intra annum summam 300000 ℔ Sterl., quam Regina in augendas copias impenderet.

Dum Elector Bavariae cum exercitu Francico in Bohemiam irrumpebat Pragamque capiebat, alter exercitus Francicus, duce Marescallo DE MAILLEBOIS, intrabat in Westphaliam, ut Hollandos observaret et Angliae Regem contineret. Hic cum videret Francos approperare et cum copiis Borussicis, quae Magdeburgi erant collocatae, conspirantes agmen

(1) Haec conciliandi conamina cum irrita evasissent, Ordines mense Augusto hujus anni subsidium dandum decrevere 840000 florenorum. Vid. WAGEN. l. l. p. 327. sq.

ducere, veritus, ne Electoratus Hannoveranus invaderetur, Parisiis egit de *pacto neutralitatis* ineundo, quod d. 28 m. Oct. (1741) perpretratum est: quo etiam GEORGIUS suffragium suum Electorium in proxima Imperatoris electione Bavariae Principi spopondit. Tempus autem, per quod illa vigeret neutralitas, determinari neglectum est, quod postea praetextui fuit Regi Angliae, ut eam rumperet.

Auxilia Russiae frustra exspectabat Regina Hungariae. Sueciae enim Rex, quem Francia pro annua pecuniae summa ad suas partes perduxerat, hujus consilia sequi coactus, Russiae, ne Austriae auxilia ferret, bellum indixerat mense Julio sub specie violati novissimi foederis.

Eoque tutior a parte Russiae erat Rex Borussiae, etsi jam mense Decembri a. 1740 cum illa icisset *foedus defensivum.* Eodem tempore cum in Silesiam intrasset, Reginae Hungariae ultro pacem obtulit: scilicet ut ipse contentus esset Ducatibus Glogaviae et Sagani, Reginae solveret 2000000 florenorum, fidejuberet Sanctionem Pragmaticam, et operam suam interponeret, ut M. Dux Etruriae Imperator eligeretur. Sed Regina sociorum viribus confidens has conditiones rejecit. Cum vero FREDERICUS mense

Octobri a. 1741 totam fere Silesiam expugnasset, MARIA THERESIA intellexit cum hoste, qui omnium acerrime instaret, esse paciscendum. Legatus Anglicus apud Regem Borussiae, HINDFORD, cui munus erat commissum pacis inter eum et Reginam componendae, post irritos multos conatus Regem permovit, ut cum duce exercitus Austriaci, comite DE NEUPERG, in castello *Klein-Schellendorf* colloquium sereret. Unde singulare ortum est conventum, d. 9 m. Oct. conclusum et ab ipso HINDFORD scripto mandatum (1). Inter alia pacti sunt, ut Regi Borussiae liceret urbem Nissam (*Neisse*), quam appeteret, obsidione capere; neque urbe capta Rex amplius offensive ageret contra Reginam Hungariae, Regem Angliae tanquam Electorem Hannoverae, vel alium quemcunque hoc tempore Regina socium haberet, usque ad pacem universam; ut Rex numquam plus peteret a Regina quam Silesiam Inferiorem cum urbe Nissa, quae illi regio cederetur pacto ulteriore, quod mense Decembri exeunte esset componendum; ut Marescallus comes DE NEUPERG copias suas reduceret in Moraviam; ut ab utraque parte interdum

(1) Integrum legitur apud SCHÖLL, T. II. p. 303. sqq.

procursaretur, quasi hostilia continuarentur; ut denique hae conditiones penitus occultae manerent.

Sive Rex Borussiae inducias illas non habuerit pactum solenne et obligatorium, sive, sibi insidias fuisse positas arbitratus, ipse etiam astutiam adhibere voluerit, ea, quod aula Viennensis istos articulos evulgasset, usus est excusatione, ut pactum, cujus illum certo poeniteret, rumperet. Ut igitur se cum MARIA THERESIA non de pace egisse probaret, d. 4 m. Nov. Vratislaviae cum Electore Bavariae icit foedus, quo illi Austriae Superioris, Tirolis, Brisgoiae et Bohemiae possessionem fidejussit.

Bello igitur repetito Austriacis tantam apud Czaslaviam cladem infligavit, ut denuo illi a legato Anglico nomine Reginae Hungariae pacis conditiones sint propositae. Nunc vero res serio tractatae sunt, ita ut conditiones praeviae d. 11 m. Jun. a. 1742 Vratislaviae signatae, et d. 28 m. Jul. seq. Berolini in *pactum definitivum* conversae sint. Cur autem tam subito Rex e bello discederet, ipse in opere suo indicat: consilium Regni Austriaci dividendi, quod Francia moliretur, illi numquam placuerat; cum unice suae gentis magnitudini studeret, copias suas non eo servire volebat, ut aemulos sibi excitaret,

vel Franciae dicto audiens esset; affirmat praeterea, se intellexisse occultas strui machinationes cum M. Duce Etruriae a Cardinale DE FLEURY, qui paratus esset Franciae socios diserere, si Austria Franciae cederet Luxemburgum et partem Brabantiae. Pace Berolinensi Regina Hungariae Regi Borussiae, ejus heredibus et successoribus utriusque sexus cedebat Silesiam superiorem et inferiorem, comitatum Glatii et regionem *Klatscher*, quae ante ad Moraviam pertinebat, sibi reservabat quosdam Principatus et dominia cum altioribus extra Silesiam Superiorem montibus; Rex Borussiae pecuniae summas solveret, quas Angli et Hollandi hypothecae obligatas in Silesia haberent; Rex Angliae tanquam Elector Hannoverae, Russia, Dania, Rex Poloniae tanquam Elector Saxoniae, ea lege, ut intra sedecim dies copias suas ab exercitu Francico separaret et e Bohemia reduceret, Ordines Generales et domus Guelpherbytanus (*Wolfenbuttel*) pacto comprehenduntur.

Elector Saxoniae, conditionibus praeviis Vratislaviae probatis, eodem die quo Rex Borussiae pacem cum Austria restituit.

Hoc etiam loco moneamus, Regem Angliae foedus Vratislaviae fidejussisse, et promississe, se Ordines

pervicturum ut ipsi quoque illud fidejuberent, si Rex Borussiae denuo statimque cum Rege Angliae et Ordinibus foedus defensivum arctum inire vellet. Et inter M. Britanniam et Borussiam tale foedus d. 29 m. Nov. Westmonasterii perfectum est. Ordines vero, quamvis invitati ad accedendum, non accesserunt, veriti fortasse, ne unas alterasve partes laederent. Dum legatus Austriacus illis suspiciones in aulam Francicam suscitare conabatur, Francicus operam dabat, ut prohiberet, quo minus Ordines, sicut decrevissent, novas copias compararent, quas certo in hostium Franciae commodum iri adhibitum censeret. Hujus vero irrita fuere consilia, neque quod mox proposuit acceptum est pactum neutralitatis, par Hannoverano: novo foederi Ordines confidere non posse videbantur, quamdiu vetera observari non liqueret (1).

Rex Sardiniae per totum annum 1741 neuter manserat, neque Hispaniae neque Austriae, ut auxiliaretur iis, sollicitantibus, se adjunxerat. Sed ut vidit copias Regis Hispaniae tendere in Longobardiam, metuens, ne Principem ex gente BURBO-

(1) Vid. WAGEN. l. l. p. 345.

NUM proximum suae ditioni vicinum nancisceretur, cum Austria, interveniente M. Britannia, d. 1 m. Febr. a. 1742 Augustae Taurinorum foedus icit, quo inter Paciscentes convenit, ut copiae Austriacae a latere Mutinae Hispanicis resisterent, et Rex Sardiniae Ducatus Mediolani, Parmae et Placentiae ab iis tueretur; integra Regi manerent jura in Mediolanum, quamvis hoc foedere durante nullo modo valerent.

At non ita Regem Sardiniae foedus Taurinense devinxerat, quin Francia et Hispania eum aliquando inde avocandi spem foverent. Quod ut praecaveret, M. Britannia Austriae persuadere tentabat, ut quadam concessione socium, qui Regni sui situ tantopere valeret, sibi arctius adjungeret. MARIA THERESIA, non nisi invita et Pragmaticam Sanctionem non tali modo fidejuberi objiciens, ad foedus accessit, quod d. 13 m. Sept. a. 1743 Vormatiae ictum est inter ipsam, M. Britanniam et Sardiniam. Praecipuae sequuntur conditiones.

Art[i] 2. sensus erat, foederatos se denuo vicissim obligare ad fidejubenda omnia Regna et regiones, quae nunc possiderent vel *possidere deberent* secundum foedera Taurinense, Ultrajectinum, Badense,

foedus quadruplex, et Viennensia a. 1731 et a. 1738. quae hic memorentur et confirmentur quatenus foederatos spectent neque iis praesens pactum deroget.

Rex Sardiniae jura in Mediolanum dimittit et Sanctionem Pragmaticam fidejubet. *Art.* 3.

Regina exercitum, quem sustinet in Italia, ad 30000 militum supplebit, simul ac res Germanicae illud sinent: Rex Sardiniae sustinebit et ad bellum adhibebit 45000 militum. *Art.* 5.

Rex Angliae in Mari Mediterraneo naves longas satis magno numero collocabit. *Art.* 7.

M. Britannia Sardiniae, quamdiu bellum durabit, solvet subsidia annua (inde a. d. 1 m. Febr. 1742) 200000 ₤ Sterl. *Art.* 8.

Maria Theresia cedit Carolo Emanueli Regionem Vigevani, partem Ducatuum Papiae et Placentiae et Regionis Anglerae (*Anghiera*), et marchionatum Finarii (*Final*). *Artt.* 9 et 10. Hic autem Marchionatus, quem Carolus VI a. 1713 Genuensibus vendiderat, cujusque possessio foedere Londinensi quadruplici ceterisque foederibus subsecutis Reipublicae fuerat fidejussa, nullo jure a Maria Theresia cedi poterat, quem ne in potestate quidem haberet: sed Regis consiliis portus Finarii admodum opportune situs erat.

Hae vero cessiones vim plenam non prius obtinebunt, quam plane satisfecerit Rex Sardiniae obligationi, quam contraxisset, causae foederatorum adhaerendi usque ad pacem in Germania restitutam. *Art.* 12.

Simul atque Italia hoste vacarit, nec bello amplius periclitatura erit, Reginae Hungariae non tantum licebit partem copiarum ex Italia reducere, sed ipsa requirente Rex Sardiniae suas praestabit ad Longobardiam tuendam, *ita ut Regina majori militum numero in Germania uti possit.* *Art.* 13.

Ex artt. 2 et 13 Rex Borussiae, qui hoc foedus cognoverat, confecit, cum Regina cum Saxonia foederata esset et Bavariam profligasset, se non amplius sub pace Vratislaviensi tutum esse et novum a Regina ad Silesiam recuperandam bellum parari.

Interea Elector Bavariae d. 24 m. Jan. a. 1742 Francofurti Imperator electus est, octo tantum Electorum suffragiis, cum Bohemia non fuerit admissa (1). At miserrima deinde usus est conditione: copiae Austriacae dum totam occupabant Bavariam, discordia regnabat inter duces Francicos et Bavarienses,

---

(1) V. s. p. 18.

et ipse Imperator arcebatur a summo exercitus imperio, quo res labefactatas restituere cupiebat; copiae Francicae denique, quibus in Belgio opus erat, mandatu Regis mense Junio hujus anni reliquerunt Bavariam. A sociis desertus CAROLUS VII conatus est neutralitatem suarum regionum depacisci. Per belli ducem SECKENDORFF in colloquio, quod cum eo CAROLUS *Princeps Lotharingius* d. 27 m. Jun. habuit, pactum proposuit, cujus Princeps hanc tantum probavit conditionem, ut tres Bavariae urbes (*Braunau*, *Straubing* et *Reichenhall*) remitterentur Austriacis, earumque praesidia Francica et Bavariensia libere exirent: reliquas mandavit Regina Hungariae, quae de neutralitate quidem inscientibus sociis agere recusavit, sed verbis declaravit, se copias Bavarienses, quamdiu in neutra regione quietae degerent, non aggressuram.

Anglia, dum WALPOLE primus administer esset, paci restaurandae operam dedit; rebus vero conversis et in locum WALPOLII suffectis CARTERET et NEWCASTLE, ad bellum inclinare visa est. Exercitus ex Anglis, Hassis et Hannoveranis compositus a. 1742 in Belgio comparatus est. Neutralitatem per totum etiam hunc annum Rex GEORGIUS servavit, sed con-

tinuas gessit negotiationes, eo fine, ut Ordines quoque in Reginae gratiam belli participes fierent. Anno vero sequente non amplius se a pacto Hannoverae recedere velle celabat, neutralitatis terminum non fuisse statutum significans. Quidquid Rex Borussiae contra rationis attulerit, nihil effecit, sed ipse neutram partem servare perseveravit. Exercitus foederatus nomine *Pragmatici* assumto, legionibus quas miserant Ordines auctus, Francos apud *Dettingen* profligavit, sed nullum inde fructum percepit.

Baro DE HASLANG, legatus CAROLI VII in Anglia, jam ex longo tempore Ministerium Anglicum movere conabatur, ut inter Imperatorem et Reginam Hungariae mediatoris partes susciperet. Mense Februario a. 1743 has proposuit conditiones: ut CAROLUS decederet de jure suo in successionem Austriacam, modo MARIA THERESIA illi traderet districtum *Egrae* in Bohemia et duos circulos *Pilsen* et *Brahin*, districtum Tirolis in ripa septentrionali AEni (*Inn*) situm cum castello *Kufstein*, et totam Austriam anteriorem, ut Elector Palatinus cederet *Neoburgum* et *Sulzbach*, quae permutaret cum territorio in Belgio majoris momenti, quod illi a Regina conce-

deretur: quae si MARIA THERESIA recusaret, CAROLUS jus suum retineret, Bavaria *Regni* nomine ornaretur, ejus reditus 6000000 florenorum augerentur, et interim Electori Bavariae Belgium dederetur tanquam hypotheca. Verum cum Londini non placeret Belgium alii quam Austriae domui obedire, propositum est, ut annui illi reditus provenirent ex *secularisatione* Archiepiscopatus Salisburgi (*Salzburg*) et aliorum quorumdam Episcopatuum. Hoc vero consilium, quod a Barone DE HASLANG non ab Imperatore esse prolatum declarabatur, sed FREDERICUM II auctorem habebat, cum ab aula Viennensi evulgaretur, Imperator infitiatus est.

CAROLUS VII a. 1742 Imperii Germanici Dietae mandaverat, ut paci restanrandae operam daret. Quod ut susciperet, cum mense Majo a. 1744 una cum M. Britannia et Ordinibus se paratum declaravisset, bellum brevi post ab Austria vehementius repetitum, quo minus id perficeretur, impedivit.

Eodem mense Imperator, ut omnia tentabat, Landgravium Hassia-Casellanum rogavit, ut Angliae interventionem efficeret. Cum rege ejusque administro CARTERET tunc temporis Hanoviae degentibus colloquia hic seruit, dieque 15 m. Jun. inter eos con-

venit, ut 1° Imperator copias Francicas, quas adhuc haberet, remitteret iisque, ut fines Germaniae transirent, persuaderet; 2° Imperator et Rex M. Britanniae eniterentur cum Imperio, Anglia et Ordinibus conjunctim quietem publicam restaurare et Franciam cogere, ut pacem durabilem et cum universis iniret; 3° Imperatori bello diruto concederetur summa quae ad victum suppeditaret, donec reditibus ejus augendis consuluissent; et Electoratus Bavariae in Regnum converteretur; 4° Imperator desisteret a possessionibus hereditariis Austriae pro se suisque posteris; 5° Hujus renuntiationis instrumento ratificato Imperatori redderentur hereditaria Regna; 6° Regina Hungariae agnosceret Imperatorem CAROLUM VII, et hic rursus Reginam; suffragium etiam Electorium Bohemiae restitueret; 7° universa concederetur *amnestia*, omnes publicationes et sequestrationes (*confiscations et sequestres*) essent nullae, obsides et personae coercitae (*personnes arrêtées*) libere dimitterentur; 8° captivi sine redemtione solverentur, et Bavaria recuperaret tormenta bellica sibi ademta.

Hae conditiones obsignanda erant d. 16 m. Jun., sed CARTERET illud in dies differebat et tandem d.

1 m. Aug. negotiationem diremit; quam ne momento quidem bona fide gesserat, id tantum agens, ut Imperatoris cum Francia consensum turbaret.

Nec tamen Imperator, quamquam bello penitus afflictus, pacem desperavit: easdem denuo conditiones ac diei 15 Junii Regi Angliae proposuit, quibus addidit, ut referretur ad Imperium de comparando exercitu neutro ad protegendum Rhenum, cui ipse adjungeret 15000 milites Bavarienses, et ut praesidia Philippoburgi et castelli *Kehl* augeret.

Tunc vero Angli professi sunt, Reginam a pace concludenda esse alienum, qua sibi non ab omni parte satisfieret: illam nimirum Lotharingiae possessionem appetere, et interim Bavariam tanquam depositum retenturam: Imperatoris esse, si revera pacisci vellet, efficere, ut bellum ab Imperio Franciae indiceretur, quo facto Imperium Alsatiam, Regina Lotharingiam acquirere posset, ad quae persequenda si Imperator vellet concurrere, M. Britanniam et Ordines eum subsidiis adjuturos esse.

Ne praetermittamus foedus, quod d. 25 m. Oct. a. 1743 inter Franciam et Hispaniam Fontis-Bleaudi (*Fontainebleau*) compositum est. Inscribitur *Traité d'union et d'alliance perpétuelle*, et in exordio di-

citur comprehendere omnia, quae amborum Regnorum commoda et communem defensionem spectarent, perpensis foederibus prioribus quae inter ipsa intercessissent, et pacto Scorialino (*Escurial*) d. 25 m. Oct. 1733 tanquam fundamento niti.

Tres priores articuli generalia et utrique Regno communia constituunt:

Foedus erit perpetuum inter ambo Regna.

Reges sibi vicissim omnes suas in Europa aliisque mundi partibus possessiones fidejubent,

Et sibi promittunt se arma non ante depondituros, quam ad fines suos pervenerint.

Sequentes agunt de rebus Italicis:

Rex Franciae bellum declaret Regi Sardiniae. Copiae, hoc articulo enumeratae, contra Sardiniam mittendae conjunguntur cum exercitu, cui filius Regis Hispaniae, PHILIPPUS, praeerit. *Art.* 4.

Idem copiarum numerus a Rege Hispaniae praestabitur, et inter exercitus Principis PHILIPPI et Ducis Mutinae dividetur. *Art.* 5.

Rex Hispaniae jura sua in Mediolanum in filium PHILIPPUM transfert, qui illum Ducatum possideret, ut possessisset CAROLUS VI tempore mortis, et cum Ducatibus Parmae et Placentiae, mortua Regina

Hispaniae quae per vitam eos ut patrimonium suum obtineret, conjungeret. *Art.* 6.

Secundum art. 7 pactum confoederationis manifestum concludetur, cujus Imperator CAROLUS VII socius esse poterit, qui ut Regnum suum recuperaret, non tantum Reges efficerent, sed ut novas etiam regiones nancisceretur.

Articuli 8-11 agunt de rebus Anglicis et Regis Franciae consilia satis indicant:

Inter foederatos conveniet de statuendis conditionibus quibus Regi Franciae esset belli declaratio Angliae facienda; quod si eveniret, Francia primo loco Gibraltariam expugnabit, neque umquam cum Anglia de pace aget, qua illa urbs non restitueretur.

Rex Franciae in gratiam etiam Hispaniae Minorcam insulam recuperare conabitur.

Ambo Reges una cogent Anglos ad evertendam novam coloniam Georgiae.

Rex Hispaniae contractum Assientinum cum Anglia non renovabit (1).

---

(1) V. s. p. 3.

Art° 14 Rex Franciae fidejussionem suscipit Regnorum Neapolis et Siciliae CAROLO (Hispaniae Regis filio) ejusque heredibus.

Art° 15 Rex Hispaniae pollicetur, se operam daturum, ut Franciae redderentur quae art° 4 pacis Ultrajectinae Regi Sardiniae cessisset, praecipue castella Oceli (*Exiles*) et Fenestrellae.

Art° 16 cavetur, ut hocce foedus maneret occultum et tacitum, quamdiu mutuo consensu opus esse videretur, et habiturum esse »*pacte irrévocable* »*de famille, d'union et d'amitié*" (1).

Art° separato d. 21 m. Nov. seq. addito fidejussio art° 2 praescripta extenditur ad Principem PHILIPPUM ratione art[i] 6 et ad CAROLUM ratione art[i] 14.

Ipso hoc anno Rex Poloniae, aegre ferens, Regem Borussiae in pace Vratislaviensi sua tantum commoda spectasse nec sociis consuluisse, cum Regina Hungariae, cui augendus sociorum numerus admodum cordi erat, d. 2 m. Dec. Viennae foedus icit.

Pactum est, ut Rex Poloniae tanquam Elector

(1) Praeparatorium quodammodo hoc foedus videtur celebris illius pacti familiae BURBONUM.

Saxoniae denuo Sanctionem Pragmaticam fidejuberet secundum art^um^ 2 foederis a. 1733 sine ulla exceptione (*art.* 2); ut Regina jus agnosceret Reginae Poloniae ejusque posterorum, exstinctis CAROLI VI posteris utriusque sexus, in Austriam succedendi; ut se invicem copiis sustinerent; ut Russia et Rex M. Britanniae tanquam Elector Hannoverae invitarentur ad accedendum huic foederi.

Articulo separato cautum est, ut Respublica Poloniae peteretur, ut renovaret *pacta conventa*, quae jam per secula inter ipsam et domum Austriae exstarent, et ut foederi accederet salvis juribus et constitutionibus.

Tres adjuncti sunt articuli secreti:

1° bellum quod nunc gerebatur excipitur e casu foederis,

2° si Elector consilium capiat cum sociis contra Franciam bellandi vel ultra 6000 militum praebeat, Regina illi commoda spondet pro rata parte,

3° Electori liber permittitur transitus e Saxonia in Poloniam cum comitatu 1200 militum.

Cum art° 2 hujus foederis non a fidejussione exciperentur cessiones pactis Vratislaviae et Berolini Regi Borussiae factae, hic in suspicione quam illi

foedus Vormatiense injecerat confirmatus est. Sciverat enim illa per legatum suum Hagae-Comitum. Et magnopere istae suspiciones ali potuissent, si illi etiam innotuisset pactum, quod Russia et Polonia, majori vero diligentia celatum, d. 4 m. Febr. a. 1744 Petropoli icissent. Hoc autem foedus a[i]. 1733 fere totum confirmabatur, sed insuper convenit, ut auxiliares copiae sustentarentur sumtibus ejus abs quo peterentur, et ut foedus per quindecem annos duraret.

Multa ab initio anni 1744 hostilem Franciae in M. Britanniam animum ostendebant. Aula Francica, intelligens, Reginae Hungariae, si tot tantosque socios servaret, quiescente Rege Borussiae, nullum posse resistere, multiplex iniit consilium, ut Imperator ope Borussiae bellum in Bohemia renovaret, ut Rex M. Britanniae intestinis contentionibus occuparetur et copias suas e Belgio revocare cogeretur, ut porro ipsum Belgium Francico exercitu invaderetur, itaque Ordines Generales, quo minus Reginae Hungariae auxilia mitterent, impedirentur. Et primum quidem excitavit CAROLUM EDUARDUM STUART, *Praetendentis* (ut vocatur) filium, ut exscensionem faceret in Angliam, simul classe et copiis

comparandis promissis. Praetendens, qui Romae morabatur, initio a. 1744 jus suum in filium transtulit, qui statim regio titulo ornatus clam in Franciam profectus est. Jam classis Francica cum Hispanica conjuncta cum Anglis in conspectu Telo-Martii (*Toulon*) proelium commiserat. Itaque bellum re ipsa exorsum d. 15 m. Mart. a Rege Franciae Angliae indictum est. Attamen potius in Electorem Hannoverae haec declaratio facta videbatur quam in Angliae Regem: praecipue enim querebatur de rupto neutralitatis foedere. D. 9 m. Apr. GEORGIUS Rex repondit: LUDOVICO exprobrabat, Sanctionem Pragmaticam, pro qua tuenda Lotharingia Franciae esset concessa, neglectam; se Reginam Hungariae sustinuisse profitebatur, quia ad illam Sanctionem tuendam se devinctum judicaret; addebat, Franciam moenia Dunikerkae restaurasse (1), Praetendentis filium in Franciam admisisse, in ejusque gratiam copias comparasse et exscensioni in Angliam susceptae favisse; se vero Angliae Regem pactum neutralitatis, quod tanquam Elector iniisset, religiose observasse.

---

(1) A° 1714 pactum erat, ut Dunikerkae munimenta, portus, moles atque aggeres numquam reficerentur. Vid. omnino WAGEN. XVIII. p. 29 sqq.

Simul Rex Angliae Ordines Generales et Electores Saxoniae et Brandeburgi monuit, ut secundum foedera pacta subsidia praestarent. Ordines continuo classem auxilio miserunt, sed rogati, ut pacem quoque cum Francia rumperent, sicut foedus a'. 1678 (1), quod pacta novissima confirmassent, praeciperet, responderunt se ad bellum minime inclinari et intervallo, quod illis concessum esset, usuros, ut de pace restituenda experirentur. Elector Saxoniae etiam se auxiliaturum esse spopondit, sed Rex Borussiae se a neutra parte futurum significavit, quamdiu nulla hujus consilii mutandi causa illi ab aliquo Germaniae Principe praeberetur: ex quibus futura jam provideri possent.

De 26 m. Apr. Austriae bellum a Francia denuntiatum est: Ludovicus XV aulae Viennensi objiciebat libellos calumnia et malitia in Franciam repletos ab ipsa per Europam sparsos, conventiones violatas, captivos Francicos vexatos, irruptionem in Alsatiam factam et Franciae subditos Imperio con-

---

(1) Hoc foedere cautum erat, ut Paciscentes, si alterutrum hostis aggrederetur, se invicem defenderent et aggresso bellum indicerent duos post menses quam id a socio rogatum fuisset.

fines ad rebellionem côncitatos. Regina Hungariae rursus in responsione d. 18 m. Maji Regi retulit, illum foedus rupisse, quo Sanctionem Pragmaticam fidejussisset, aulam Ottomannicam in Reginam incitasse, bellum Suevico-Russicum instigasse, Regnum Austriacum pro sua voluntate dividisse, Imperium, Europam, totum denique orbem Christianum turbasse: et haec quidem sub specie moderationis et amicitiae; aulam porro Francicam quae pacifica proponere videri voluisset rursus retraxisse, sociisque Reginae Germanicis aliis timorem injecisse, aliis majoris territorii spem dedisse, ut ita Germaniam per Germaniam potestati BURBONUM subjiceret: quae omnia, nisi Francia jam praevenisset, Reginam ad bellum declarandum coactura fuissent.

Eodem tempore Rex Borussiae iterum arma cepit. Judicabat, se Imperatori tanquam summo Imperii, cujus pars esset, praefecto debere succurrere, eumque tueri a perniciosis Reginae Hungariae conatibus, quae eo illum adigere vellet, ut dignitatem Imperatoriam abdicaret (1). Tum etiam insigne

(1) MARIA THERESIA instrumentum Moguntiae in Imperii Germanici Codicibus conficiendum curaverat, quo CAROLI VII electionem illegitimam declararet.

Reginae consilium recuperandae Silesiae apparebat in foederibus Vormatiensi et Viennensi. Sed momenta, quibus ductus est, verius ipse FREDERICUS exposuit in scripto quodam ad administros suos qui bellum dissuaserant. Enumerat 1° quantum studii et operae MARIA THERESIA in Vratislaviensi pacificatione impenderit, ut sibi altos montes Silesiae superioris reservaret, unde exiguos quidem reditus perciperet, at qua aditus illi pateret in Silesiam; 2° obstitisse Reginam, ne foedus Vratislaviae Russia fidejuberet, quod perquam cupivisset Rex; 3° cunctationes ab Hannovera interponi in amovendis difficultatibus de confiniis hujus Electoratus et Regis Borussiae possessionum ortis; 4° quam parum ipse GEORGIO II confidere possit, quippe qui obligationes a se contractas violasset (1); 5° legatos Reginae Petropoli discidium ipsius et Imperatricis ELISABETHAE machinari. Itaque foederatis Austriae, Poloniae, Saxoniae, M. Britanniae et Russiae duplex opposuit foedus, cum Imperii Germanici Principibus alterum, alterum cum Francia.

---

(1) Spectat hoc ruptum a Rege Angliae foedus neutralitatis Hannoverae.

Imperator, Rex Borussiae, Elector Palatinus et Rex Sueciae tanquam Landgravius Hassia-Casellae d. 22 m. Maji a. 1744 *Unionem* Francofurti inierunt, ad eum finem, ut constitutio Germanica confirmaretur, ut CAROLUS VII Imperator agnosceretur a Regina Hungariae, ut idem in Electoratum Bavariae restitueretur, et ut contrahentes sibi invicem possessiones suas fidejuberent. Quod attineret ad contestationes super successione Austriaca, vel amico modo interventu omnium Imperii Ordinum conciliarentur, vel decreto judiciali tollerentur, sed interim induciae per totam Germaniam pangerentur.

D. 9 m. Junii seq. articulum addiderunt *secretum* et *separatum*, quo foederati constituerunt, ut Rex Franciae ad accedendum invitaretur: eodemque die legatus Francicus adhaesit (1).

Non multo post aula Viennensis articulum secretum quemdam protulit, qui huic foederi adjunctus esset. CAROLUS solemni modo epistolis (*circulaires*) declaravit foedere nullum articulum secretum contineri. Rex Borussiae articulum prolatum falsum dixit et malitiose excogitatum. Verumtamen cum

(1) Instrumentum Unionis cum accessione Regis Franciae invenitur apud SCHÖLL. Op. l. T. II. p. 444 sqq.

eo similitudinem quamdam habebat *pactum secretum* novem articulis comprehensum, dieque 27 m. Jul., non inter omnes foederatos Francofurtinos, sed tantum inter Imperatorem et Regem Borussiae, compositum, quibus eodem die Francia accessit, hoc argumento (1):

Rex Borussiae Bohemiam pro Imperatore expugnabit, eique successoribus et heredibus in infinitum fidejubebit. *Art.* 1.

Imperator cedet Regi Borussiae jura sua in Silesiam, quae supererat, Austriacam et partem Bohemiae quamdam, quas illi fidejubebit eodem modo. *Artt.* 2 *et* 3.

Bohemia, uti ab Imperatore possidebitur, manebit integra. *Art.* 4.

Rex Borussiae Imperatori fidejubebit Austriam Superiorem, simul ac subacta erit. *Art.* 5.

Rex Borussiae religionem Catholicam tuebitur in regionibus, quae illi cedentur. *Art.* 6.

Commercium inter regiones cessas et Bohemiam liberum manebit, et eadem qua nunc conditione gaudebit. *Art.* 7.

---

(1) Etiam legitur apud SCHÖLL, l. l. p. 349 sqq.

Imperator et Rex Borussiae spondent, se numquam separatim de pace tractaturos et semper concordes acturos. *Art.* 8.

Francia eodem consilio huic foederi accessit, quo cum Borussia d. 5 m. Jun. Versaliis foedus inierat. Constituerant, ut FREDERICUS in Bohemiam irrumperet et Austriacos Alsatiam, quam invasissent, relinquere cogeret, ut exercitus Francicus ab altera parte in Bavariam, ab altera in Westphaliam progrederetur, ut Regi Borussiae iidem cederentur Bohemiae tractus, quos deinde concesserit CAROLUS VII, ut Franciae dederentur urbes Ypra, Tornacum, Furnae, Bellomontium et Cimacum, ut moenia Luxemburgi diruerentur.

Ut provisum erat, Bohemiae invasio Reginam ab Alsatia et Lotharingia expugnanda avocavit. Praga capta, Rex Borussiae, vinculi, quo cum Austria conjunctus erat Rex Poloniae, insciens, illi proposuit, ut foedus contra Reginam iniret: quod nimirum rejecit Rex Poloniae.

Simul atque Unio Francofurtina palam facta esset, MARIA THERESIA ejusque socii, ut mala inde progressura praevenirent, quaesiverunt remedia. Cum Electore Moguntiaco conventio subsidiaria jam facta

erat. Elector Coloniae, qui Unioni Francofurtinae accedere recusaverat, d. 11 m. Jul. cum M. Britannia et Ordinibus pactus est. Majoris ponderis Unioni foedus quadruplex opposuit Regina inter ipsam, Regem Poloniae Electorem Saxoniae, Regem M. Britanniae et Ordines Generales, quod d. 8 m. Jan. a. 1745 Varsoviae perfectum est. Imprimis Regi Poloniae sibi arctius devinciendo foederati studuisse videntur.

Art° 3 Rex Poloniae confirmat et renovat Sanctionis Pragmaticae fidejussionem.

Art° 4 se statim exercitum 30000 hominum missurum ad defendendam Bohemiam pollicetur.

Ad hunc exercitum sustentandum Rex M. Britanniae solvet subsidium, quamdiu necesse erit, annuum 100000 ℔. sterl. et Ordines 50000. *Art.* 5.

Simul atque a Bohemia et Saxonia periculum remotum erit, Rex-Elector 10000 militum emittet quo M. Britannia et Ordines necessarium esse judicent, et suis sumtibus sustinebit, quo casu subsidium 90000 ℔. sterl. solveretur. *Art.* 6.

Si Electoris territorium impetum hostilem pateretur, foederati spondent se illum tuituros et illi satisfactum iri, commodorumque quae e bello nan-

ciscerentur participem illum fore. *Artt.* 7 et 8. Regi Poloniae ultimi hujus articuli dispositio non placebat. Ut autem ad commutandas ratificationes procederent, administer ejus declarationem edidit, Regem, ne causa foederatorum mora detrimentum caperet, commutandas ratificationes concedere, quamvis declarasset trium aularum administris, se illud non ante permissurum quam Regina Hungariae explicationem dedisset articuli 8 de parte quam Rex consequereretur provinciarum hosti communi adimendarum.

Russia et Polonia art° 10 invitantur, ut foederi tanquam partes principales accedere velint.

Sequuntur tres articuli secreti et separati, ab Ordinibus alieni.

Elector Saxoniae spondet se legatos suos ad dietam Imperii ita mandatis instructurum, ut plane concordes cum legatis Brunsvico-Luneburgi et Reginae agerent; quibus consentientibus cum Electoribus Ecclesiasticis, se, Electorem, deliberaturum de optimis modis quietis Germaniae restituendae et constitutionis Imperii confirmandae. Quae cum indicarent, Electorem se obstringere ad deferendam dignitatem Imperatoriam M. Duci Etruriae, post mortem

demum CAROLI VII, qui d. 20 m. Jan. subito vita excesserit, hos articulos esse confectos facile discernimus.

Art° 3. Rex Angliae et Rex Poloniae promittunt, se efficere velle, ut post obitum ipsius AUGUSTI III filius in Regnum Poloniae succederet.

Imperatore autem mortuo Unione Francofurtina reapse sublata, res plane conversae sunt. CAROLI filius, MAXIMILIANUS JOSEPHUS, ut domus Austriacae fautor erat, contrariam patri viam ingressus, d. 22 m. Apr. in oppido Faucena (*Füssen*) pacem cum Regina condidit.

MARIA THERESIA agnoscebat Electorem mortuum tanquam Imperatorem, ejus filio Bavariam reddebat et ab omni compensatione, quam petere posset, desistebat.

Elector contra dimittebat omne jus in successionem Austriacam et fidejubebat Sanctionem Pragmaticam; agnoscebat suffragium Electorium Regni Bohemiae jure a MARIA THERESIA ferendum suumque spondebat in proxima electione in gratiam M. Ducis Etruriae emittendum.

Marchionatu Finarii, quem MARIA THERESIA Regi Sardiniae foedere Vormatiensi nullo jure cessisset,

hic ne potiretur, valde metuebat Respublica Genuae. Quam sibi sociam non parum in rebus Italicis profecturam Reges Franciae et Hispaniae arbitrati, de foedere ineundo cum illa negotiationes instituerunt, dieque 7 m. Maji a. 1745 in villa *Aranjuez* pepigerunt *pactum confoederationis et subsidii*, accedente etiam Rege Neapolis. Hic, cujus e re erat contrarias Reginae Hungariae partes sequi, a. 1742 classe Anglica urbem Neapolim aggredi minante coactus fuerat neutralitatem inire; verum a. 1744, cum Regina Hungariae pactis foederibus Vratislaviae et Vormatiae Regni sui deminutionem passa esset, veritus, ne Regni Neapolitani debellatione, exercitu Austriaco jam in Romano territorio procedente, compensationem quaereret, copias ad sui defensionem emisit, quae amoverunt periculum. Foedere autem Aranjuezino revera belli particeps factus est.

Statuerunt Paciscentes, ut hujus foederis conventiones secretae servarentur, donec communi consensu innotescerent (*art.* 1), neque ante ipsa confoederatio palam fieret, quam copiae ad defendendos Reip. fines a regibus missae ad loca, quae in foedere notentur, pervenissent (*art.* 6). Et tunc demum

Resp., neutras partes relinquens, praestaret, quae artt. 2, 3 et 4 spopondisset, scilicet Regi Franciae mutua daret 36 tormenta bellica (*canons de bronze*) in omne tempus, per quod bellum in Italia gereretur (*art.* 2), victum et quibus bello gerendo opus esset (*munitions*) redemtoribus (*fournisseurs*) trium Regnorum pro abundantia regionis suae praeberet (*art.* 3), et Principi PHILIPPO 10000 peditum adjungeret, quos suis sumtibus sustineret (*art.* 4): contra exercitus regii vias, quibus Genuenses victus terra importent, liberas permitterent, et Rex Hispaniae subsidium menstruum Reip. solveret 30000 aureorum (*piastres*).

Reges Hispaniae et Neapolis spondent se loca et territoria nonnulla jure ad Remp. pertinentia expugnaturos eique tradituros. *Art.* 7.

Rex Neapolis tuebitur privilegia, quibus gaudebat Resp. Genuae ejusque cives in utraque Sicilia, cum Regnum capesseret. *Art.* 9.

Art^us^ 11 obligationes statuit, quibus tenerentur navigia mercatoria Francica, Hispanica et Neapolitana, quae in portus Reip. intrarent.

Reges Paciscentes fidejubebunt non tantum regiones, quas nunc possideret Resp. (Regno Corsicae

comprehenso), sed etiam quae nanciscendae hoc foedere memorentur. *Art.* 12.

Art° 1 conditionum separatarum et secretarum eodem die signatarum, Reip. spondent distinctionem regiam, quali fruatur Resp. Venetiae, pace universa tribui fore, praecipue respectu legatorum invicem mittendorum.

Art° 2 alia etiam ac supra dicta territoria Reip. promittuntur.

Ceteri artt. pertinent ad obligationes terrarum Reip. erga Imperium Germanicum.

Hoc tempore Turcarum Imperator, MAHOMETUS V mediationem suam foederatis Austriacis obtulit. Proponebat Venetiam ad congressum conditionesque praevias statuebat has, ut induciae fierent ad modum *uti possidetis* et ut Romanorum Imperator nonnisi universis suffragiis eligeretur. Hae vero quas Francia suggesserat propositiones, quibus acceptis in unius Regis Borussiae arbitrio esset, an M. Dux Etruriae Imperatoria dignitate potiretur, a belligerantibus rejectae sunt.

Consilium Silesiae recuperandae, quod jam e foedere Varsoviensi apparebat, lucidius enuntiatum est in foedere, quod d. 18 m. Maji inter Austriam et

Saxoniam Lipsiae ictum est secretissimum; eoque Paciscentes processerunt, ut se arma non posituros sponderent, nisi Silesiam et Glatium non tantum recepissent, sed Regem etiam Borussiae sibi subjecissent ejusque imperium tam arctis finibus circumscripsissent, ut vicinis amplius nocere nequiret.

FREDERICUS vero iterum in Silesia victor novas cum aula Londinensi negotiationes iniit de pace cum Regina restauranda. Jam d. 26 m. Aug. Hannoverae conditiones praeviae a Regibus erant constitutae, at Regina semper Silesiam subigendam cogitans, conditionibus illis rejectis, ex improviso Berolinum occupare studuit: quod cum Regi clam nuntiatum esset, foederis etiam Lipsiae pacti suspicionem quamdam habenti (1), se Electori Saxoniae ultro parcere non posse existimans, totum devicit Electoratum eique tributa imposuit. Itaque Rex Borussiae MARIAM THERESIAM, cui ad pacem perducendae tamdiu operam navarat, conventioni Hannoverae accedere coegit, quod unum Reginae socium a Regno disperdendo servare potuit.

Negotiationibus Dresdae repetitis, interveniente M.

---

(1) Anno demum 1756 certiorem hujus foederis notitiam habuit.

Britannia, legatus FREDERICI d. 25 m. Dec. duo conclusit foedera, alterum cum Rege Poloniae Electore Saxoniae, cum Austria alterum:

Rex Borussiae Regi AUGUSTO reddit omnia, quae illi bello ademerat, sed Ordines Saxoniae et urbs Lipsia se obligant fidejussore Electore ad solvenda Regi praeter tributa jam imposita 1000000 aureorum. *Art.* 3.

Regina Poloniae, filia Imperatoris JOSEPHI I, pro se suisque heredibus ab omni jure desistit, quod Sanctione Pragmatica acquisiverat, in regiones Regi Borussiae cessas pace Vratislaviensi a. 1742. *Art.* 6.

Elector Saxoniae cedit Regi portorium *Fürstenberg* ad Oderam et pagum *Schidlo* pro alia quadam ejusdem valoris possessione. *Art.* 7.

Religio Protestantium integra manebit in utriusque Principis Regnis secundum pacem Westphaliensem. *Art.* 8.

Foederis cum MARIA THERESIA summa erat, ut illa denuo a Silesia et Glatio desisteret. *Art.* 2.

Ut redderet Regi Baroniam *Turnhout*, quae publicata esset (1). *Art.* 4.

---

(1) PHILIPPUS IV a. 1648 hanc Baroniam viduae Principis Arausiaci FREDERICI HENRICI detulerat ipsi ipsiusque heredibus.

Ut Rex Borussiae tanquam Elector Brandeburgi agnosceret suffragium Electorium Bohemiae, et adhaereret Electioni M. Ducis Etruriae. *Art.* 7. Hic enim d. 13 m. Sept. sub nomine FRANCISCI I Imperator electus erat, quamvis repugnantibus legatis Brandeburgio et Palatino.

Ut Rex Angliae cessionem Silesiae et Glatii fidejuberet, et polliceretur, se Ordinibus Generalibus et Imperio Germanico, ut similiter fidejuberent, persuasurum.

Mense Majo anni sequentis (1746) Rex M. Britanniae peculiari instrumento suscepit Silesiae et Glatii fidejussionem, et Rex Borussiae rursus se obligavit ad satisfaciendum Anglis, quibus pecuniae Silesiae nomine deberentur. Ordines Generales, a quibus ejusmodi fidejussio flagitabatur, non nisi tarde eo adducti sunt. Nec facile illud impetrari potuit ab Imperio Germanico, praesertim quod simul a Regina Hungariae peteretur, ut fidejuberet Sanctionem Pragmaticam, sicut a. 1732 pluribus suffragiis in dieta

---

Mortuo GUILIELMO III obtigit domui Brandeburgiae. Verum a. 1753 FREDERICUS II eam cessit privata conventione MARIAE THERESIAE, quae conjunctam cum Ducatu Brabantiae in Ducatum erexit in favorem familiae *de Telles de Sylva Tarouca.*

esset constitutum: ita ut a. demum 1751 Imperium foedus Dresdense fidejubendum susceperit.

Regem Borussiae, etiamsi voti compos factus esset, neque umquam Silesiae repetendae Reginae spes esse videretur, multi forte mirentur in medio victoriarum cursu tantum pacis desiderium ipsis quibuscum bellaret Principibus declarasse. Sed praeter commoda, quae nunc sibi pacisci poterat, Regem ad instandum pacificationi permovit Edictum Imperatricis Russiae. Summopere enim legati Reginae Hungariae, Regis M. Britanniae et Ordinum Generalium Imperatricem admonuerant, ut staret pactis conventis, cum ne bello quidem cum Suecia, quacum jam a. 1743 pacem Aboae patrasset, impediretur. Et initio ab iis servandis non aliena videbatur, sed post pactam conventionem Hannoverae plane conversa est multoque majora petiit subsidia quam antea convenerat. Imminente vero Saxoniae a Rege Borussiae periculo, se opem laturam declaravit. Exercitus Russicus jam, ut in Borussiam prorumperet, per Curlandiam iter faciebat, cum pax Dresdae concluderetur.

Bellum interea in Belgio, Italia et Indiis continuabatur. Franci, hoste apud Fontanetum profli-

gato, totum fere Belgium subegerunt. Respublica Genuae Regi Sardiniae bellum declaravit, et major pars Pedemontii et Longobardiae cum urbe Mediolani expugnata est.

Haec Regem Sardiniae ad paciscendum inclinarunt. Rex Franciae, quocum tractandi desiderium manifestavit, legatum misit Augustam Taurinorum: d. 26 m. Dec. a. 1745 praevii pacis articuli constituti sunt, quibus agri Mediolanensis, Cremonensis et pars Mantuani inter Regem Sardiniae, Principem PHILIPPUM et Remp. Genuae essent dividendi. Pactum signandum erat, simul atque conditiones praeviae ab aula Madritana approbatae essent, ad quam cum foedere ipso (*traité definitif*) essent missae. Foederi haec adjuncta erat conditio, ut Principes, qui Imperatoria dignitate gauderent, vel Regnum Franciae vel Hispaniae occuparent, numquam quemcunque Italiae Principatum possiderent. Videtur aula Francica eo meliores Regi Sardiniae conditiones concessisse, quod intellexerat Dresdae de pace tractari. Sed cum Hispania omnem agrum Mediolanensem absolute PHILIPPO dari vellet, rejecit articulos praevios iisque accedere recusavit. Unde morae pacificationi interpositae sunt, quibus Impe-

ratrix-Regina, bello cum Borussiae Rege soluta, usa est, misso in Italiam exercitu 30000 hominum, cujus progressus Regem Sardiniae ad rumpendas negotiationes moverunt.

Ut bellum intestinum a filio Praetendentis in Anglia tam infelici eventu gestum, cum in res Europae politicas nullam fere vim exercuerit, silentio praetereamus, de bello in ceteris Europae partibus paucis notandum est, ab Austriacis in Italia fortuna satis secunda usque ad belli exitum esse pugnatum, in Belgio vero adversissima; quod vero facile compensari expugnatione Insulae *Cap Breton*, quae maximi propter piscatum momenti haberetur, Angli existimaverunt.

Peculiaris argumenti conventio mense Aprili a. 1746 Dresdae signata est. Cum Elector Saxoniae copias, quas paratas haberet, sed ad quas sustentandas nulla inde a pace Dresdensi subsidia acciperet, cuidam Principi vendere quaereret, Francia metuens, ne illae Angliae Regis fierent stipendiariae, emit neutralitatem Electoris pro solutione annua, per tres annos, 2000000 florenorum.

Foedus, quod Regina Hungariae d. 21 m. Jul. Monachii cum Electore Bavariae conclusit, editum

est, sed non liquet de pacto subsidiario inter eumdem Principem et Regna maritima inito, cujus in illo mentio fit, quodque signatum videtur a°. 1745. Foederis Monachiani articulus 2 sistit, ut Elector Reginae secundum conventionem illam subsidiariam 5000 militum praeberet. Imperatrix-Regina contra quarumdam pecuniarum, quas debebat Elector, solutionem remittebat.

Inde ab initio belli legati Franciae et Borussiae ad aulam Russicam Austriaci consilia ad persuadendum Imperatrici Russiae, ut cum Regina Hungariae foedus arctius iniret et belli particeps fieret, impedire sciverant. At anno 1746 auctoritate Magni Cancellarii BESTOUCHEFF praevalente, d. 2 m. Jun. (d. 22 m. Maj. stilo vetere) foedus defensivum inter Austriam et Russiam ictum est.

Paciscentes sibi fidejubent Regna sua et sibi promittunt, si offendantur, exercitum auxiliarium 30000 militum, quorum tertia pars equitum erit. *Art.* 2.

Excipiuntur e casu foederis bella, quae Russiae contra Persiam, et Austriae in Italia vel cum Hispania essent gerenda. *Art.* 3.

Paciscentes sibi reservant potestatem revocandi exercitum auxiliarium quem praebuissent, si ipsi

impetum quemcunque paterentur; quo casu hujus rei Principem, qui petierat, certiorem faciet qui praebuerit duos menses ante revocanda auxiliaria. *Art.* 4.

Nec fiet pax, neque induciae, quarum ille, qui offensus non fuerit, Paciscentium non erit particeps. *Art.* 12.

Art° 15 convenit, ut Rex et Resp. Poloniae et Rex M. Brittanniae tanquam Elector Brunsvico-Luneburgius conjunctim invitarentur, ut huic foederi accedere vellent; et art° 16 additur, si Resp. Poloniae nollet accedere, Rex nihilominus tanquam Elector Saxoniae amico modo esse invitandus.

Foederis diuturnitas constituitur 25 annorum. *Art.* 17.

Foedus sequuntur sex articuli secreti et unus secretissimus.

Secretum primum ferunt pertinere ad imperium M. Ducis PETRI, tanquam Ducis Holsatiae, secundum, tertium et quintum spectare Russiae et Austria commoda, et constituere Italiae e casu foederis exceptionem; quartus solus evulgatus est: Regina Hungariae et Bohemiae declarat, se religiose et bona fide foedus Dresdense observaturam, sed,

si Rex Borussiae primus ab hoc foedere recedens vel Imperatricem-Reginam, vel Imperatricem Russiae vel Remp. Poloniae hostili modo aggrederetur, jura Imperatricis-Reginae in partem Silesiae cessam et in Glatium vim absolutam receptura sunt. Ad hunc casum Austria et Russia paratum habebunt quaeque exercitum 30000 hominum, et duplum comparabunt casu eveniente. Regina Hungariae spondet se Imperatrici Russiae soluturam summam 2000000 florenorum Rhenanorum, intra annum, inde a die quo Silesiam nactura fuerit, ut Russiam indemnem servet ab expensis ad 60000 illa militum comparanda factis. — Non potuit, quin ex hoc articulo Austriae praetextus oriretur Silesiae vindicandae. Immoderatae autem et injustae ideo videntur hae stipulationes, quod Russia et Polonia nequaquam pacis Dresdensis inter Austriam et Borussiam participes fuissent, nec Polonia quidem cum Austria esset foederata.

Articulus secretissimus spectabat Regnum Ottomannicum.

Rex Angliae foederi demum accessit d. 30 m. Oct. a. 1750.

Secutae sunt negotiationes Bredanae. De quibus

priusquam dicamus, aliquando altius repetenda, quae jam ad pacem restaurandam ab Ordinibus Generalibus praecipue gesta sint.

Cum Francia Reginae Hungariae bellum indiceret, Ordines intelligebant, brevi invadendum fore Belgium Austriacum, quod Reipublicae suae propugnaculum haberent, cujusque plurima moenia secundum foedus Ultrajectinum et foedus peculiare cum Austria anni 1715 praesidio tenerent. Itaque in discrimen adducti sunt, Franciam sibi amicam conservare et simul propugnaculum illud retinere cupientes. Mediam inierunt viam Regemque Franciae petiverunt, ut cum ipsis ageret de pace restituenda universa, qua re et omnibus et sibi maxime consulerent (1). Hunc ad finem in exercitum Regis legatum miserunt *Comitem de* WASSENAAR-TWIKKELO.

Interea copiae Francicae procedebant et urbes propugnaculi aggrediebantur, quod frustra conatus est impedire Ordinum legatus. LUDOVICUS XV pacem desiderare non videbatur: profitebatur, se non pro re sua bellare, sed, si pacificare vellent,

---

(1) *Resol. Gener.* 26 *Apr.* 1744.

Imperatori quasdam regiones Austriacas, Parmam et Placentiam Principi PHILIPPO esse cedendas. Paullo post Ordines has proposuerunt conditiones, utrimque secretas servandas: ut 1° Francia omnia redderet, quae huc usque cepisset, 2° Francia denuo se obligaret ad Sanctionem Pragmaticam fidejubendam, 3° Imperator jus suum in hereditatem Austriacam dimitteret, 4° idem ille in regiones suas hereditarias restitueretur, 5° moenia, quae Francia in Imperio Germanico exstruxisset, diruerentur, 6° obligationes, quas Francia erga Angliam propter Praetendentem contraxisset, renovaret, 7° moenia Dunikerkae dejicerentur, 8° Rex Hispaniae ab hereditate Austriaca desisteret. Quae cum Regis administris non probabiles viderentur, legatus Ordinem infecta re domum rediit.

Mense Majo anni 1745 aula Francica per *Abbatem* DE LA VILLE, legatum suum apud Ordines, ipsa de pace agere coepit (1). Harum negotiationum, quae cum Ordinibus provincialibus praesertim Hollandiae secretissime gestae sunt, summa fuit, ut legatus declararit, quamvis non, uti par esset, instructum, se tamen quaedam proferre posse sententiae aulae Fran-

(1) Vid. *Bijv. op* WAG. XX. p. 7.

cicae consentanea, scilicet ut 1° auxilia, quae Francia olim Bavariae promisisset, non amplius deberi intelligerentur, pace jam inter Austriam et Bavariam patrata, 2° Francia nulla impedimenta interponeret liberae Imperatoris electioni, modo ceteri Principes similiter agerent, 3° Rex quod attineret ad Belgium Austriacum, facile cum Ordinibus consentiret, 4° Hispania cum Anglia pacificari posset, si illi, jus suum in hereditatem Austriacam dimittenti, territorium aliud quoddam concederetur, et contra Angliae quaedam commoda ad navigationem in Indias Occidentales permitterentur, 5° Francia socios suos vexari ferre non cogeretur. Et paullo post etiam addidit, Regem nihil sibi Belgii retinere velle, modo non peteretur ut disjecta moenia reficeret, se autem de regione Hispaniae concedenda non satis conscium esse, sed de hac re cum legato Hispanico esse agendum, porro ad pacem persequendam necesse esse, ut locus congressui aptus designetur. Responsum tulit ab Ordinibus Generalibus (quod prius inter Ordines Hollandiae convenisset): Ordines apud Regem instare, ut eos certiores faceret de consiliis suis, quae cum sociis communicarent et de quibus deliberarent. Res vero remisse a Rege tractata est,

cum aegre ferret continua ab Ordinibus sociis praestari auxilia. Initio mensis Octobris demum fidem dedit, territorium Reip. a Francis non laedi fore, et scriptura (priora enim ore tantum tractata erant) congressum ad colloquendum de pace poposuit. Lubenter id approbaverunt Ordines, at, ut socios de hac re consulerent, statuerunt. Quae cum tardius agerentur, initio anni 1746 aula Francica rursus Ordinibus pactum neutralitatis, quod jam saepius inire recusaverant, obtulit. Sed nunc etiam eadem mente constiterunt, praeterea moti Angliae et Austriae incitationibus, quarum intererat Remp. penitus bello involvi. Cum alia etiam accederent, quae Regem Franciae magis magisque infensum redderent Reip. (1), Ordines, ut amicitiam labefactam restaurarent et de pace potissimum universa concilianda agerent, iterum in Franciam miserunt *Comitem* DE WASSENAAR.

Hujus et, qui mox illi consiliarius accessit, JACOBI GILLES non vanae quidem fuerunt negotiationes, cum

(1) WAGEN. XX p. 20. Propter naves tres Francicas ab Anglis captas, Bataviam ductas ibique cum onere Gubernatori Indiarum Belgicarum venditas Rex Franciae civibus Reip. commoda, quae e foedere mercatorio a. 1739 perciperent, interdixit.

effecerint, ut urbium captarum moenia, quae Franci evertere coepissent, in statu praesenti manerent, neque bellum in Reip. territorium translaturum esset, sed res ipsa de pace componenda parum processit. Cum Ordines congressum, qualem Francia proposuisset, irritum fore arbitrarentur, nisi certae quaedam antea conditiones essent constitutae, quae fundamento essent negotiationibus, de illis praecipuus sermo erat. Neque inter legatos tantum Franciae et Ordinum agitabantur, sed hi omnium deliberationum socios, et Angliam ante omnes, certiores faciebant.

Ordines, negotiationum fundamento posito principali, Franciam, ut ipsa jam saepius professa erat, sibi nihil petere, haec pacisci cupiebant: ut in Reip. gratiam foedera priora, Ultrajectinum et quod a. 1717 pactum esset, renovata confirmarentur, et foedus mercatorium a. 1739 restitueretur, loca capta in provinciis Austriaco-Belgicis redderentur, denique Hispania declararet, se navigationem, quae Reip. civibus foederibus esset concessa in Indias Occidentales, non impedituram (1): ut respectu M. Bri-

(1) Hanc declarationem ideo petebant, quod a. 1731 *Marchio* DE CASTELLAR, legatus Regis Hispaniae, Franciae, Angliae Ordinumque administris significasset, Hispaniam se solutam

tanniae Francia foedera pacta renovaret et, quatenus iis praeceptum esset, Dunikerkae moenia dejiceret, Praetendentis ejusque posterorum partes amplius sustinere desineret, navigatio et mercatura ea qua ante bellum conditione gauderent, ipsaque Hispaniam urgeret ad pacem cum Anglia concludendam ad modum Ultrajectinae et conventionis Pardensis a. 1739, qua etiam contineretur eadem, quam Francia daret, de Praetendente declaratio: ut Francia Austriae promitteret, se denuo Sanctionem Pragmaticam fidejussuram, conventionem cum illa a. 1738 factam restauraret, quae hoc bello cepisset, redderet, et Imperatorem agnosceret: ad quae ita Hispania ut Francia se obligaret: ut denique Rex Sardiniae et Dux Mutinae in Regna sua restituerentur et Resp. Genuae pacificatione comprehenderetur. Animadverterunt administri Francici, multa a Francia postulari, quae ne levissimo quidem commodo compensarentur; sibi igitur reposcebant insulam *Cap-Breton*, eaque sub conditione se provincias et urbes, quas in Belgio Austriaco cepissent, reddituros et foedus

---

haberi quacunque obligatione, quam foedere Hispalense contraxisset: quod nondum ab illo Regno erat revocatum. Cf. WAGEN. XIX. p. 44 sq.

mercatorium a. 1739 restituturos pollicebantur. Sed haec omnia ore tantum tractabantur. Mense Majo eo tamen venerunt, ut Franci concederent, se Dunikerkam redacturos in eum statum, quo secundum foedera annorum 1713 et 1717 oporteret, se Praetendentem neque ejus posteros sustenturos et Regem Hispaniae movere conaturos, ne navigationem in Indias Occidentales impediret. De ceteris non convenit.

Franci interea se moenia adaequare perrecturos minabantur, nisi ad conclusionem pacis properarent Ordines. Qui cum ostenderent, illam hoc modo maximeque, si bellum a Francis in Reip. territorium transferretur (ut Hagae metus erat), potius dilaturam esse, quia cessaret tunc Ordinum intercessio, Francia a proposito destitit.

Paullo post aula Francica intellexit, Anglos ea, quae acta essent, novisse et comprobare, de qua re cum adhuc dubitavisset, magis successui negotiationum confidere coepit, imo legatum Hagam misit *Marchionem* DE PUYSIEUX, qui clam colloqueretur cum principibus in Rep. viris de optimis bello finem imponendi modis. Unde factum est, ut congressus jamdiu exspectatus constitueretur, quo trium

Regnorum legati pacis universae sisterent conditiones eamque, si sociis quoque placerent, concluderent.

Videntur Angli eo perducti fuisse, quod Ordinibus rem pacificatoriam solis tractantibus non amplius confiderent, et ne Franciae aula illis persuaderet, ut singulare foedus inirent, timerent: idque satis manifeste indicabant (1). Franci cum ipsis Anglis agere non recusabant, ex quo tempore opinabantur, illos pacem velle; neque Ordinibus displicebat, aulam Anglicam se negotiationibus immiscere, cum nullam ab illa potestatem accepissent quidquam concludendi. Num revera Angli, cum mari secunda fortuna bellarent, conditionibus huc usque sibi propositis continuo scrupulos objecissent, neque ipsi, quid vellent, clare enuntiassent, pacem appeterent, orta est dubitatio. Quae etiam aucta est, cum mense Septembri exeunte in urbem *Bredam* legati convenissent, et Anglicus *Comes* DE SANDWICH non prius de pace agendi initium esse faciendum declararet, quam aulae Viennensis et Taurinensis, quas Anglia congressus habendi certiores fecisset, suos etiam legatos

(1) Parum vero isti diffidentiae causa erat, cum Ordines jam mense Julio Regem Angliae petiissent, ut legatum de pace in Franciam mitteret. Vid. WAGEN. XX. *Bijv.* p. 34.

Bredam misissent (1). Francia Angliae consilio fortiter resistente, diu intermissae sunt deliberationes. Mense Januario a. 1747 legatus Hispaniae in congressum admitti voluit, et cum arceretur, d. 16 denique m. Mart. Anglia, ut videtur, suscitante declaravit, se omnia improbare quae ratione Hispaniae, quamdiu ipse abesset, statuerentur.

Aula Francica, persuasa has negotiationes ad nihilum recasuras nec tempus inutilibus colloquiis terere cupiens, belli tandem Ordinibus Generalibus indicendi consilium cepit. Abbas DE LA VILLE d. 17 m. Apr. 1747 iis declarationem tradidit, qua enumerabantur auxilia, quae Resp. MARIAE THERESIAE praebuerat, refugium, quod copiis foederatorum victis apud Fontanetum praestiterat, alia: LUDOVICUS vero declarabat, se tanquam deposita habiturum loca et provincias, quas in sui salutem occupare coactus esset, eaque restituturum, simul ac Provinciae Unitae ejus hostibus auxilia praestare cessarent.

Bello jam renuntiato, nihilominus inter legatos

(1) Legatus Anglicus postea confessus est, se jussum fuisse, cum Bredae de pace ageretur, nihil concludere, sed Francos, qui pacem tunc valde appeterent, quibuscunque impedimentis morari. Vid. WAGEN. XX p. 184.

Franciae et Ordinum de pace agebatur. D. 20 m. Apr. constitutae sunt quaedam conditiones praeviae, quibus pactum fuit, ut urbes Reip. a Francis captae redderentur et priora foedera renovarentur, inprimis mercatorium illud a. 1739, — urbes in Belgio Austriaco captae MARIAE THERESIAE restituerentur et pax cum illa secundum foedus a. 1738 componeretur, — Francia FRANCISCUM Imperatorem agnosceret, — foedera annis 1713 et 1717 inter Franciam et Angliam pacta ab omni parte vim repeterent, — Francia recuparet insulam *Cap-Breton*, — pax inter Angliam et Hispaniam secundum pacem Ultrajectinam et conventionem Pardensem conderetur et mercatura secundum foedera priora exerceretur, — Hispania, quod ad Praetendentem attineret, eadem quae Francia observaret, — Hispania foedera olim cum Provinciis Unitis pacta confirmaret et cum Austria paecisceretur sub conditionibus foederis a. 1738, quibus etiam accederet Rex Neapolis, — Hispania, Neapolis et Princeps PHILIPPUS agnoscerent Imperatorem FRANCISCUM, — Parma et Placentia, ea parte excepta quae cis Padum sita esset, PHILIPPO dederetur, — Rex Sardiniae, Resp. Genuae et Dux Mutinae recuperarent, quae amisissent. Quamvis Rex Franciae hasce

conditiones non rejiceret, impediverunt res in Provinciis Unitis conversae et Gubernatoria restituta potestas, quo minus de illis agere pergeretur.

Cum belli proximitas negotiationes in urbe Bredae continuari non sineret, legati Franciae et Hispaniae Comiti DE WASSENAAR proposuerunt, ut aptior agendo eligeretur locus, quo simul omnium foederatorum legati admitterentur. Communi consensu designata est urbs *Aquisgrani* (1).

Austriaci interea socii infeliciter pugnabant et auxilia Russica desiderare coeperant. Cunctabatur ea mittere Imperatrix ELISABETHA, cum et ipsa, ne in provincias copiis ita nudatas quid hostile a Rege Borussiae tentaretur, timeret, et pecuniae subsidiariae, quam Russiae praestarent foederati, nondum summa esset constituta. D. 23 demum m. Jun. (d. 11 st. v.) 1747 foedus inter Russiam et M. Britanniam ictum est, quo supplebatur illud, quod Russia cum Austria d. 2 m. Jun. anni praeteriti inierat. Convenit, ut Imperatrix per annum 1747 in finibus Livoniae exercitum 30000 peditum para-

(1) Hanc elegerunt ex iis, quas Francia proposuerat, *Aquisgranum*, *Coloniam*, *Dusseldorpium*, *Augustam Trevirorum* et *Vormatiam*.

tum haberet et praeterea ad oras maritimas naves longas 50 collocaret, quae, quam primum a Rege M. Britanniae arcesserentur, in foederatorum commodum moveri possent; ut M. Britannia 100000 £ sterl. solveret, et ut eadem sub conditione idem copiarum numerus anno 1748 ab Imperatrice paratus esset.

D. 30 m. Nov. inter haec ipsa Regna et Ordines pacto constitutum est, ut Anglia et Ordines stipendium exercitui Russico, cujus numerus esset 37500 militum, persolvendum susciperent.

Francorum in Remp. progressus, reportata ab iis apud *Laffeld* victoria captaque Berga ad Zamam foederatos ad vires quam possent maximas illis opponendàs impulerunt. Itaque d. 26 m. Jan. a. 1748 Imperatrix-Regina, Reges M. Britanniae et Sardiniae et Ordines Generales Hagae-Comitum pacti sunt, ut ad bellum in Belgio gerendum exercitus 192000 hominum compararetur, ad quem Imperatrix-Regina praeberet 60000, M. Britannia 66000 et Ordines 66000 militum;

Resp. adjungeret decem vel duodecim naves longas classi Anglicae, cujus finis esset, ut mercaturam, quam Franci facerent, pessumdaret, suamque et Reip. tueretur, *art.* 7;

Imperatrix-Regina insuper in Italia conferret 60000 militum, Rex Sardiniae 30000, *artt.* 8 et 9;

Rex M. Britanniae praestaret 30 naves longas, quibus Rex Sardiniae suas adjungeret, *art.* 11;

Rex M. Britanniae solveret Imperatrici-Reginae subsidium 400000 ℔ st. et Regi Sardiniae 300000, *artt.* 12 et 13;

Rex Sardiniae summum exercituum Italicorum imperium obtineret, *art.* 15.

CAPUT III.

HISTORIA CONGRESSUS AQUISGRANENSIS.

Exercitus Russorum auxiliarii appropinquatio cum Franciam ad pacem urgendam incitaret, periculum, quo Resp. versabatur post captam Bergam ad Zamam, aulam Londinensem, quae praeterea ob argenti penuriam bellum producere non poterat (1), movit, ut Franciae ultro obstare cessaret et congressum Aquisgrani habendum comprobaret.

Itaque mense Martio a. 1748 Principum bellanlantium deinceps advenerunt legati. Francia misit *Comitem* DE SAINT-SEVERIN D'ARRAGON, cui deinde adjunctus est DE LA PORTE DU THEIL; Anglia *Comitem*

(1) WAGEN. XX. p. 184.

DE SANDWICH, primo solum, tum post praevias conditiones signatas cum *Equite* THOMA ROBINSON; aderant ab Austria *Comes* DE KAUNITZ-RIETBERG, ab Hispania DON JACOB MASONES DE LIMA ET SOTOMAYOR, a Sardinia *Eques* DON JOSEPHUS OSORIO et *Comes* JOSEPHUS BORRÉ DE CHAVANNES, ab Ordinibus Generalibus *Comes* DE BENTINCK, *Baro* DE WASSENAAR, GERARDUS ARNOLDUS HASSELAAR, *scabinus et consiliarius urbis Amstelodami*, *Baro* DE BORSSELE VAN DER HOOGHE *princeps nobilis Zeelandiae* et ONNO ZWIER VAN HAREN, *delegatus Frisiae in consilium Status*; *Comes* DE MONZONE Ducis Mutinensis et *Marchio* FRANCISCUS DORIA Reip. Genuae commoda curabant.

Legati Austriae, Angliae, Sardiniae et Ordinum inter se constituerant, ut nullas propositiones separatim facerent neque acciperent, sed in quacunque re una eademque mente tractarent.

Mox difficultates plurimae exortae sunt: legatus Francicus initio prohibere videbatur, quo minus inciperentur negotiationes absentibus adhuc Hispaniae, Mutinae et Genuae legatis; Austriacum patebat ex iis, quae privato sermone agitabantur, aegre laturum, pacto caveri de possessionibus Regis Bo-

russiae, quarum fidejussionem proposuisset legatus Anglicus, sed non comprobarent Ordines, nisi ille vicissim ad ipsorum possessiones fidejubendas obligaretur; cum legato etiam Genuensi quaedam orta est dissensio de honore illi a ceteris legatis praestando, quem parem illis sibi deberi existimabat; denique palam factum est, Imperatricem Russiae administrum in congressum mittere velle.

Die 24 m. Apr. prima legatorum concio habita est: in qua legatus Francicus declarationem edidit, Regem suum, terra quamvis victorem, omnia velle restituere quae debellasset neque aliquam compensationem petere.

Urbs Trajecti ad Mosam hoc tempore a Francis obsidebatur, qua capta nihil ab invasione Remp. tueri posset. Quod cum foederatos ad pacificationem quam citissime peragendam impellere debuisset, ne ipsos quidem consentire aliosqne alio ferri momento inde a secnnda concione apparuit. Quae cum ita essent, Anglia et Ordines, quibus jam displicebat, Austriam bellum, quod illius unius causa esset inceptum, tam remisse gerere, quosque Trajecti obsidio valde sollicitaret, conditiones praevias (*préliminaires*), quas Francia proposuisset,

in concione secreta d. 30 m. Apr. separatim signaverunt: ut deinde ceteris offerrentur comprobandae. Unus e legatis Reip., has pro magna parte iniquiores esse conditionibus jam Bredae statutis arbitratus, sigilli apponendi difficultatem movit: quum vero urgeret admodum *Comes* DE SANDWICH, et nuntiarentur Franci moenia Bergae ad Zamam intra triduum dejecturi, et pacto etiam adsentiret Princeps Arausiacus, obsistere desiit.

Hoc loco animadvertamus, novam in illo foedere praevio condendo formam diplomaticam esse adhibitam, qua evitaretur pugna de *jure praecedentiae*, quod Reges Franciae et M. Britanniae sibi singuli vindicarent. Licet non nisi tres essent Paciscentes, quatuor confecta sunt instrumenta originalia. Duobus primum locum obtinebat Rex Franciae, duobus alteris Rex M. Britanniae: hos signabat *Comes* DE SANDWICH, illos DE SAINT-SEVERIN. Uterque legatus instrumentum a se signatum alterum retinebat, alterum tradebat legatis Ordinum, qui duo igitur accipiebant originalia, neque adeo Regi alterutri praecedentiam concedebant. Quotiescunque conditionibus praeviis quaedam accederet Potestas, quatuor conficiebantur instrumenta exemplaria, quibus singulis

addebatur instrumentum accessionis: legati Franciae et Angliae quisque exemplum consequebantur, quo ipsius Rex primo nominabatur; legatis Ordinum duo rursus exemplaria dabantur, eademque ratione hi duo suae acceptationis conficiebant exemplaria: legati Franciae et Angliae quisque unum. Itaque in quaque accessione et acceptatione octo exempla conscribebantur, quorum quodque continebat accessiones et acceptationes jam factas, unde legati Hispanici, qui ultimus signavit, exempla fuerunt perfectissima.

Conditiones autem praeviae hae erant:

Ut foedera Westphaliense, Bredanum a. 1667, Madritanum inter Angliam et Hispaniam a. 1670, Neomagense, Risvicense, Rheno-Trajectinum, Badense, et foedus quadruplex a. 1718 confirmarentur, quatenus non derogaret hocce foedus;

Ut omnia, quae in Europa Indiisque Orientali et Occidentali inde ab initio belli utrimque capta essent, ea conditione, qua nunc uterentur, essent reddenda;

Ut Dunikerka a latere terrestri munita esset (sicut nunc se haberet), et ceterum foedera priora observarentur;

Ut Ducatus Parmae, Placentiae et Guardastalli cederentur Principi PHILIPPO, sed, si hic sine prole obiret, aut si Rex Neapolis Regnum Hispaniae adipisceretur, ad praesentem dominum redirent;

Ut Dux Mutinae et Resp. Genuae in possessionem eorum, quae bello amisissent, restituerentur;

Ut Rex Sardiniae in possessione maneret regionum, quas ad hoc tempus habuisset, et quas a. 1743 acquisivisset, Vigevanensem, partem Papiensis et Comitatum Anglerae;

Ut Francia et Ordines Generales sponderent, ut Regi M. Britanniae, cui tanquam Electori Hannoverae quaedam pecuniae ab Hispania deberentur, quique hoc titulo pacificatione comprehenderetur, satisfieret;

Ut confirmaretur pactum Assientinum et conventio de nave annua Americana, item articulus 5 foederis a. 1718, quo successio in Regnum M. Britanniae domui Brunsviciae fidejuberetur;

Ut Princeps, ad Imperatoriam dignitatem electus Imperator agnosceretur ab omnibus Potestatibus, qui id omisissent;

Ut hostilia cessarent terra intra hebdomades sex post obsignatas has conditiones, et mari sicut a. 1712 inter Franciam et Angliam convenisset;

Ut omnes Principes hujus foederis participes se Sanctionem Pragmaticam fidejussuros esse sponderent;

Ut Regi Borussiae ab iisdem fidejuberetur Ducatus Silesiae cum Comitatu Glatii, ita ut nunc ab illo possideretur;

Ut jura quae contenderet Elector Palatinus in foedum *Pleinsting*, litigia de *Magno Magisterio ordinis equestris velleris aurei*, de tractibus Hannoniae inclusis, de Ecclesia Abbatiali *Sancti Huberti*, de novis aedibus cursui publico constitutis, aliaque in communi congressu tractarentur.

Porro secreto articulo provisum erat, ut, si Principes, de quorum commodo transigeretur, dictis conditionibus accedere nollent, Francia, M. Britannia et Ordines Generales omnes vias persequerentur, quibus id perfici posset, neque illi Principes, qui contra spem Paciscentium conditiones dictas approbare negarent, quidquam commodum sibi stipulatum perciperent.

Alio articulo separato, induciae pactae erant, quae statim post praevias conditiones signatas per totum Belgium valerent, excepta urbe a Francis obsessa Trajecti ad Mosam. Postulaverant foederati, ut etiam ad Trajectum illae induciae extenderentur, sed ne-

gaverat *Comes* DE SAINT-SEVERIN, se tali modo inducias posse pacisci. Cum autem foederatorum exercitus in Belgio impar esset Francico, et longe quoque abesset, ut militum numero constaret, quem statuisset foedus Haganum, urbs pacto excepta est et d. 7 m. Maji se Francis dedidit.

Eodem die, quo articulos praevios, declarationem signaverunt legati M. Britanniae et Ordinum, se, etsi mentio peculiaris non facta esset foederum olim inter Franciam et Ordines et inter Hispaniam et Ordines pactorum, spem tamen habere, fore ut ea foedera et praecipue Francicum a. 1739 renovarentur, et ut ab Hispania omnia, quae M. Britanniae aliive cuivis populo, Reip. etiam permitterentur, inprimis quod attineret ad liberam in Indias Occidentales navigationem, exceptis omnino Assientina et de nave annua concessionibus; sibi autem satis persuasum esse, Franciam pactis conditionibus novam hanc esse additurum, ut urbes Reip., quibus Franci potiti essent, statim ea conditione, qua nunc se haberent, redderentur, et commercia vicissim prohibita tunc rursus fore licita.

D. 4 m. Maji *Comes* DE KAUNITZ Imperatricis-Reginae nomine edidit *protestationem* contra omnia,

quae conditiones praeviae continerent commodis Imperatricis-Reginae contraria. Hoc unum eam, suo quamvis periculo, concedere velle declarabat, ut Principi PHILIPPO Ducatus stipulati traderentur, donec vacante Regno Hispaniae aut utriusque Siciliae illi copia daretur in alterutrum succedendi; idque ea tantum lege, ut nullae haberentur cessiones ab Austria Regi Sardiniae factae foedere Vormatiensi, cum hac re unice praecavere voluerit, ne familia BURBONUM stabilem in Italia sedem assequeretur. Ad quam conditionem implendam eum Rex Sardiniae permoveri non posset, Austria ne multo quidem post (d. 31 m. Maji) praeviis conditionibus sine ulla exceptione adhaesit, rata » cessiones foedere » Vormatiensi factas nullo modo pertinere ad ea ne» gotia, quae in congressu essent tractanda." Adhaeserunt eodem tempore legati Regis Sardiniae et Ducis Mutinae, d. 28 m. Junii legati Regis Hispaniae et Reip. Genuae.

D. 8 m. Julii legati Franciae, M. Britanniae et Ordinum declarationem signarunt, secundum quam omnia quae in Indiis Orientali et Occidentali ab utraque parte ante diem 30 m. Apr. capta essent, vel ab eo inde die capi potuissent, restituerentur.

Interea copiae Russicae in Franconiam pervenerant; de quorum reditu cum legatus Francicus cum legatis foederatorum sermones habuisset, sed pacto praevio cavere neglexisset, declaravit, urbes a Francis captas non posse tradi, nisi Russi reverterentur. Itaque Ordines consuluere, utrum urbes reciperent, an Russorum adventum exspectarent. Illam amplexi sententiam, cum legatis Francicis et Anglicis d. 2 m. Aug. conventionem inierunt, ut copiae Russicae quam celerrime se domum converterent, modo Franci parem militum numerum e Belgio in interiorem Franciam duci, et postquam illis manifestum factum esset, Russos revera iter incepisse, intra mensem dimitti curarent, nec liceret, copiis illis, quamdiu stipendiam M. Britanniae et Ordinum mererent, alios Principes uti, nec Rex M. Britanniae aut Ordines eas ducerent contra Franciam, cum ipsa deminutionem exercitus persecuta esset. Quae cum ab utraque parte stricte observarentur, paci perficiendae viam aperuerunt.

Foedus ipsum (*traité définitif*) a *Comite* DE SAINT-SEVERIN conscriptum deinde in congressu propositum est. Angli animadverterunt, conditionem Assientinam et de nave Americana non ita descriptam

esse, ut vellent. Ordines reprehenderunt, Principibus Paciscentibus onus imponi fidejussionis Silesiae et Glatii, Regem contra Borussiae ad illorum possessiones fidejubendas non obligari. Verum ipse FREDERICUS se a tali fidejussione plane alienum esse ostenderat. Cum *Comite* DE KAUNITZ etiam Ordines egere de renovando foedere propugnaculi: neque aula Viennensis illud adhuc valere negabat, sed non amplius tantis gaudebat facultatibus, ut sumtus Reip. quotannis solvendos posset conferre, neque probavit, quod praecipuum petebant Ordines, ut urbes in Belgio Austriaco a Francis deserendae Reip. traderentur, donec foedus propugnaculi esset restauratum. Et Reges Hispaniae et Sardiniae, Dux Mutinae et Resp. Genuae postulaverunt, ut quae sibi singuli contenderent jura accuratius hoc foedere describerentur, sed maluerunt tres illae, quae conditiones praevias signaverant, Potestates, ea foederibus peculiaribus constitui.

Integrum igitur foedus, uti propositum erat, ab omnibus Principibus bellantibus est confirmatum et comprobatum, dieque 18 m. Oct. ab iisdem, qui praeviarum conditionum fuerant auctores, legatis Franciae, M. Britanniae et Ordinum Generalium si-

gnatum. Die 20 ejusdem mensis accesserunt Hispania, Genua et Mutina, die 23 Austria. Sed recusantibus legatis Regis Sardiniae, quia foederis Vormatiae non contineretur etiam fidejussio, trium Regnorum legati d. 24 conventionem fecerunt hanc, ut, si qua Potestas bello implicata foederi accedere recusaret aut differret, tria Regna, consensu Principum qui accesserint, omnia adhiberent efficacissima, ut exsequerentur ea, quae pacto praesenti praescriberentur, et ut omnes Paciscentes secundum illud plene et quiete possiderent, quaecunque iis seu restituenda seu cedenda essent. D. 7 m. Nov. legati Sardiniae accesserunt.

Foedus viginti quatuor constabat articulis.

In *exordio* repetebatur »longum et sanguineum »fuisse bellum inter Franciam et Regem M. Britanniae »Reginamque Hungariae, Romanorum Imperatricem; »et inter Hispaniam et Regem M. Britanniae, »Imperatricem-Reginam et Regem Sardiniae; cujus »belli participes fuerant Ordines Generales Provin»ciarum Unitarum, socii M. Britanniae et Impera»tricis-Reginae, Dux Mutinae et Respublica Genuae »socii Regis Hispaniae." Porro agnoscebatur »Sum»ma Providentia his omnibus Principibus viam ape-

» ruisse, qua Pax inter ipsos conciliaretur, itaque » legatos plena potentia instructos Aquisgranum mis- » sos praevias conditiones signasse, deinde inducias » esse pactas, et de universae tandem pacificationis » conditionibus convenisse."

Cavetur *art° primo*, ut inter octo illas Potestates sempiterna maneret Pax et Amicitia, et ut nullum quodcunque auxilium praestaretur illi, qui aliquam illarum male tractare tentaret,

2°. Ut omnia, quae durante bello acciderint, oblivioni darentur, et ut quisque bona sibi bello erepta recuperaret.

Art° 3° recensentur foedera quae praesenti ponuntur fundamento et confirmantur, scilicet: *Westphaliense* a. 1648, *Madritana* inter Hispaniam et Angliam a. 1667 et a. 1670, *Neomagensia* a. 1678 et a. 1679, *Risvicense* a. 1697, *Rheno-Trajectinum* a. 1713, *Badense* a. 1714, *foedus triplex Haganum* a. 1717, *quadruplex Londinense* a. 1718, et *Viennense* a. 1738.

Sequentes articuli 4, 5, 6, 8, 9, 11, 13 et 14 ea spectant, quae bello capta essent restituenda, et singula enumerant:

Captivi utrimque liberabuntur, et naves, post

tempus induciis statutum captae, reddantur. — *Art.* 4.

Urbes et castella, ab initio belli et post signatas praevias conditiones et in Europa et in Indiis ab utraque parte captae, restituentur. *Art.* 5.

Imperatrix-Regina recipiet omnia, quae ante bellum in Belgio alibique possederat, exceptis iis, de quibus hoc foedere aliae dispositiones essent factae.

Ordines in possessionem redibunt Bergae ad Zamam, Trajecti ad Mosam et omnium, quae ante bellum in Flandria, Brabantia alibique possederant. Porro urbes in Belgio, quarum praesidiis muniendarum jus habeant, illis tradentur.

Rex Sardiniae recuperabit Ducatum Sabaudiae et Comitatum Niceae, ceteraque sibi bello ademta.

Restituentur etiam Dux Mutinae et Resp. Genuae, ut *artt.* 13 et 14 latius explicatur.

Oppida munita reddentur cum tormentis ceteroque apparatu bellico, qui in iis a victoribus inventus esset, praeterea tormenta asportata et liquefacta (*fondus*) compensabuntur aliis ejusdem speciei. Urbes *Mons in Hannonia*, *Athum*, *Aldenardum* et *Menina*, quarum moenia tota erant dejecta, sine tormentis reddentur. Pro sumtibus moeniis aliarum

urbium aliisve publicis aut privatis operibus impensis nihil repetetur. *Art.* 6.

Omnes cessiones et restitutiones intra sex hebdomades post permutatas ratificationes erunt faciendae: ac de modo huic rei aptissimo constituendo legati, Bruxellam et Niceam utrimque mittendi, intra dies quatuordecim post foedus signatum agerent. *Art.* 8.

Cum vero haec dispositio respectu Americae locum habere nequiret, Rex M. Britanniae se obligat ad duos excelsi ordinis viros tanquam obsides in Franciam mittendos, qui ibi manerent, donec Rex Franciae certior factus esset de redditione Insulae Regiae, dictae *Cap-Breton*, aliorumque locorum, quae Rex M. Britanniae ante vel post signatos praevios articulos in Indiis Orientali et Occidentali cepisset. Porro omnes ibi res statum quo ante bellum reciperent. *Art.* 9.

Art^us^ 11 cavet de actis, chartis aliisque instrumentis in locis captis inventis reddendis.

Artis 13 et 14 enumerantur quae Duci Mutinae et Reip. Genuae tradentur.

Consentaneus est *articulus* 7 conditioni praeviae ejusdem argumenti: dicuntur, perpensis iis quae a

Francia et Hispania hoc foedere redderentur, Ducatus Parmae, Placentiae et Guardastalli cessuri Principi PHILIPPO ejusque posteris masculis, salvo jure reversionis ad dominos praesentes, Imperatricem-Reginam et Regem Sardiniae, *si Rex utriusque Siciliae in Regnum Hispanicum succederet*, aut PHILIPPUS orbus obiret. *Art.* 7. In praevia conditione constituenda legati in ea opinione versati fuisse videntur. ut, si CAROLUS, Rex Utriusque Siciliae, patrium Regnum Hispaniae capesseret, frater ejus PHILIPPUS jure succederet in Regnum Utriusque Siciliae, quo casu Ducatus Parmae et Placentiae ad priores dominos reversuri essent. Sed non animadverterant tertii foederis Viennensis dispositionem, qua Regnum Utriusque Siciliae CAROLO *ejusque posteris masculis et femineis* concedebatur, neque ex priorum foederum mente jure hic destitutus erat Regnum cuidam filiorum transferendi, si illud cum Hispanico conjungere non licuisse supponamus. Nihil tamen foedus a. 1738 continet, quod talem conjunctionem impediret. Prima, quae Regna Hispaniae et Utriusque Siciliae ab uno Rege possideri vetaret, constitutio invenitur in *art°* 2 foederis Madritani d. 3 m. Oct. a. 1759. Quem ubi cognoverunt se erro-

rem commisisse, legati Franciae praevium illum articulum corrigere voluerunt in foedere subsequente. Quod cum ab Imperatrice-Regina concederetur, rem immutaverunt ita, ut Ducatus Parmae ad Austriam reverteretur, si masculi e PHILIPPO deficerent, et si PHILIPPUS ejusve posterorum aliquis Regnum Hispaniae aut Utriusque Siciliae adipisceretur; Sardiniae vero Rex noluit foedus ex hac parte dispar conditionibus praeviis constitui. Itaque, CAROLO a. 1759 Hispaniam consecuto, Rex Sardiniae partem Placentiae sibi foedere Vormatiensi concessam repetiit. Hac ut se difficultate expedirent, Francia et Hispania cum Rege Sardiniae transigere coacti sunt, dieque 10 m. Junii a. 1763 Parisiis convenit, ut valerent quae ab illo rejectae fuissent reversionis conditiones, quae dum impletae non essent, Reges Franciae et Hispaniae Sardiniae summam redituum tractus illius Placentini solverent damni resarciendi nomine, ea lege, ut eam restitueret, si alterutra conditio cederet.

Quas autem Rex Sardiniae regiones retineret ex iis quas foedere Vormatiae acquisivisset, designat *art^us*. 12 easdem, quae in conditionibus praeviis memorantur.

Finarium Genuensibus dominis legitimis traden-

dum esse, non ipsis quidem verbis docetur, sed jubet *articulus* 15, omnia in Italia in eamdem conditionem restitui qua ante bellum, salvis mutationibus hoc foedere factis.

Subjiciamus *art^um* 10, quem verbo tantum moneamus praecepta contineri de reditibus regionum tradendarum solvendis, copiis discessuris sustentandis tributisque impositis remittendis.

Art^o 16 pactum Assientinum a^i 1713 eoque comprehensa conventio de nava annua in colonias Hispanico-Americanas mittenda confirmatur pro quatuor annis, per quos belli causa suspensum fuerat. — Cum belli inter M. Britanniam et Hispaniam pactum illud sola fuisset causa, sane amovendae quae inde ortae fuissent dissensiones hoc foedere putarentur: verum nihil statuitur, nisi ut quatuor anni, per quos pactum bello esset interruptum (1739-1743) denuo annumerarentur iis, quorum interesset. Etenim omnes, quae hujus pacti causa in congressu moverentur, quaestiones ut in peculiares conventus remitterentur, effecerunt administri Hispaniae, eoque facilius concesserunt Angli, quod per quatuor rursus annos privilegio Assientino frui possent et repetendae negotiationi hoc favere existimarent.

Artorum 17, 19, 21 et 22 argumentum conditionibus praeviis jam continebatur.

Ad *artum* 17, qui Dunikerkae statum definiret, animadvertamus, M. Britanniae parum interfuisse, utrum Dunikerka a latere terrestri munita esset, an non: illud vero concedens vano indulgebat LUDOVICI XV animo; moenia autem a mari dejicienda urgebat vehementius, quod plurima ex illo portu per bellum prodiissent navigia, quae mercaturae Anglicae valde nocuissent.

Articulus quintus foederis quadruplicis a. 1718, spectans constitutionem successionis Regni M. Britanniae in familiae regnantis gratiam, et quo cautum erat *de persona, quae titulum assumserat Regis M. Britanniae, ejusque posteris utriusque sexus*, expresse repetitur et confirmatur *art*° 19, et *art*° 20 Rex M. Britanniae tanquam Elector Brunsvico-Luneburgius pacificatione comprehendi dicitur.

Art° 21 Principes Paciscentes, qui se Sanctionem Pragmaticam a^i^ 1713 fidejussuros esse spoponderant, illud renovant, excipientes tantum quae ipse Imperator CAROLUS VI et Imperatrix-Regina MARIA THERESIA cesserant, quae in hoc foedere memorantur.

Art° 22 Principes Paciscentes promittunt se Regi Borussiae possessionem Ducatus Silesiae et Comitatus Glatii fidejussuros.

Iidem se Principes obligant ad hocce foedus exsequendum et vindicandum, cujus ratificationes uno mense post appositionem sigillorum Aquisgrani permutabuntur. *Artt.* 23 et 24.

Restat *art^us* 18, in quo mentio fit contentionum de pecuniis, quas Rex M. Britanniae tanquam Elector Hannoverae a Regno Hispanico petebat, de Abbatio S^ti Huberti, de tractibus Hannoniae inclusis, de novis aedibus cursui publico in Belgio constitutis, de postulatis Electoris Palatini, cet., quae omnia ante foedus signatum non expediri potuerant, et, licet in praeviis conditionibus, ut in communi congressu tractarentur, praeceptum esset, remittuntur componendae per legatos utrimque nominandos, vel alio quovis modo, de quo conveniret.

Duo accedunt *articuli separati*, quibus cavetur, ne quis detrimentum caperet e quibusdam titulis in foederis exordio assumtis, neve e lingua Francica, qua esset totum conscriptum.

Quae vulgo dictae *protestationes* foedus secuti sint, breviter enarremus.

Praemittimus protestationem, quam filius Praetendentis jam d. 16 m. Julii emiserat contra omnia, quae Aquisgrani familiae Stuartiae detrimento erant acta et agi possent. Hanc solam Scabini Aquisgranenses, ad quos omnes mittebantur, cum indignatione repulerunt.

Deinceps potestati sunt:

Ducissa vidua Tremulii (*La Trémouille*) pro filio minore, ut illi jura servaret in Regnum Neapolitanum, originem ducenti e FREDERICO III, ultimo illius Regni e domo Aragonensi Rege;

Princeps *de Ligne-Moy*, ad eumdem finem, cum esset e LUDOVICO Andagavensi;

Domus Condatiensis (*Condé*) contra Regem Sardiniae Ducatus Montis Ferrati possessorem;

Pontifix BENEDICTUS XIV contra ea, quae de Ducatibus Parmae et Placentiae erant statuta, cum essent feuda Patrimonii Pontificialis;

Rex Hispaniae contra omissionem dispositionis de Magno Magisterio Ordinis Velleris Aurei, de quo a morte CAROLI II, Regis Hispaniae, cum Austria disputaret;

Elector Bavariae contra articulum 13 foederis, quo Duci Mutinae restituerentur quae ante bellum

possedisset, scilicet etiam Ducatus Mirandulae et Marchionatus Concordiae: hae regiones a. 1709 a consilio aulico Imperii erant publicatae et Duci Mutinae venditae, sed jam a. 1637 Edicto Imperatoris FERDINANDI III cautum erat, ut post mortem ultimi Ducis (qui a. 1747 obiit) domui Bavariensi cederent. Elector hoc jus reliquit conventione a. 1750 cum Regnis maritimis conclusa (1).

Plurimae etiam repetitae sunt protestationum, quae a. 1713 in congressum Rheno-Trajectinum de principatibus Arausiae, Neocomii et Valangiae erant missae (2).

Principes Anhaltini, Badenses, Saxonici (Electorales, Gothenses, Hilpershusienses, Salefeldenses), et Bavarienses de articulo 20 foederis protestati sunt in dieta Ratisbonensi.

Ordines quoque Generales jura sibi reservare voluerunt, quae tanquam exsecutores testamenti GUILIELMI III pro domo Nassavio-Arausiaca repetenda haberent a Regno Hispaniae.

---

(1) Cf. SCHÖLL, Op. l. T. II. p. 132, 434 sqq.

(2) Vid WAGEN. T. XX p. 252; T. XVII p. 519.

Ultimus protestationem tulit Elector Palatinus contra Ordines de Marchionatu Bergae ad Zamam (1).

Foederis exsequendi causa deinde conventus de territorio Belgico ab alienis copiis linquendo Aquisgrani d. 26 m. Dec. 1748 et Bruxellae d. 11 m. Jan. 1749, de Italico Niceae d. 4 m. Dec. 1748 et d. 21 m. Jan. 1749 habiti sunt.

Etiam tanquam supplementa pacis Aquisgranensis habenda sunt foedus a. 1752 inter Imperatricem-Reginam et Reges Hispaniae et Sardiniae ad pacem in Italia tuendum compositum, et foedus Madritanum a. 1759, cujus conditionem praecipuam supra indicavimus (2).

---

(1) Vid. de hac re amplius WAGEN. T. XX l. c.
(2) V. p. 89.

EPILOGUS.

Talem Pax Aquisgranensis bello, quod per octo fere annos gestum est de successione Austriaca, finem imposuit.

Meliores certe, nisi in congressu Bredano paci concludendae Anglia obstitisset, foederatis fuissent concessae conditiones: nempe Ordinibus foedus mercatorium a. 1739 cum Francia renovandum, Dunikerka prorsus moeniis destituenda, et servanda Austriae pars Cispadana Ducatuum Parmae et Placentiae. Nec pax tam cito composita fuisset, nisi Francorum in Remp. invasio, quamque commoverit, Principis Arausionis in summam rerum restitutio foederatos eo impulissent.

Cum autem, quid pace effectum sit, consideremus, illos, qui Austriacae potestatis ruinam spectassent ideoque bellum accendissent, eventum fefellisse manifestum est. Constabat monarchia Austriaca ejusque in re politica momentum. Quae inde a pace Rheno-Trajectina agendi universe fuit ratio, eorumque potissimum Regnorum, quae majora ex illa consecuta fuerant commoda, ut pacis nempe constitutiones vindicarent, Aquisgrani etiam valuit. Itaque successio non modo in Regnum M. Britanniae rursus confirmata est, sed etiam Belgium ad Austriam revertit. Magnam vero haec passa est deminutionem. Primum Ducatus illos Italicos amittebat, quod eo majus damnum erat, quod novum Franciae et Hispaniae incrementum accederet, Principe rursus Burbonico in Italia ditionem assecuto et considente. Acerbiorem vero calamitatem MARIA THERESIA deperditam duxit Silesiam ad eamque recuperandam quaecunque pertinaci voluntate tentavit: quod testantur foedera Varsoviae, Lipsiae, Petropolis, quaeque, frustra quamvis, egerit ad prohibendum, ne Regna Paciscentia se Silesiae fidejussionem in FREDERICI gratiam susceptura sponderent. Verum Reginae cedendum fuit, neque ultro

bellum producere erat facultas, cum ab Anglia Ordinibusque bello defessis subsidia non amplius sperare posset. Non tamen misit consilium Silesiae repetendae, nec multo post bellum illud concitavit septenne, quod soli denique FREDERICO profuit, vindicata devictae Silesiae possessione.

Francia, argento exhausta, classibus perditis, coloniis ab Anglis captis, subita invasione in Remp., ut hanc a foederatorum causa separaret, plurimum valuisset, nisi armis Russicis a bello abstinere coacta fuisset. Ad priores fines quamquam reducta est, illud eam non situram fuisse vero simile est, nisi insulam *Cap-Breton* recuperasset.

Bellum, inter Angliam et Hispaniam gestum, cum bello de successione Austriaca ita confusum fuit, hujusque momento illud ita cedere debuit, ut de lite maritima, e qua provenisset, in condendo foedere Aquisgranensi vix quidquam statueretur. Sed Angli, qui sibi videbantur ulteriores easque probabiles conditiones cum aula Madritana facile posse pacisci, egregie fallebantur. Non modo Hispania foedus Assientinum restaurare recusabat, sed ita quoque ab eo abhorrebat, ut quod *art°* 16 pacis Aquisgranensis pactum esset exsequi nollet. Unde

cum novum bellum videretur oriturum, dissensiones novo foedere Madritano d. 5 m. Oct. a. 1750 remotae sunt, quo Anglia de omni jure, quod ex illo articulo haberet, decederet, et Hispania pro omni aere alieno, quod a Societate Anglica Assientina repetendum esset, intra tres menses summam solveret 100000 ₤ Sterl.

M. Britannia tanquam aequilibrii politici vindex universae Europae quantopere consuleret, in promtu est; qua autem via progrederetur, non aeque placet nec profuit. Subsidiis enim magis quam propriis viribus terra bellabat, itaque, cum pleraque Regna, quinetiam Austria et Russia, pecuniam, qua saepissime indigerent, ab Anglia acciperent, belli et pacis arbitrium emebat. Quod quantum auctoritatis Angliae addiderit atque in Regna continentis potestatis, posteriora docuerunt tempora.

Reip. Provinciarum Unitarum valde hoc bellum nocuit. Praeter damna mercaturae illata minutumque thesaurum, propugnaculi tristis erat conditio; nam omnia fere moenia in eum statum erant redacta, ut in longum tempus nullius utilitatis Reip. esse possent. Jam perspicuum factum erat, quam inane tale praesidium esset Reip., cum ne Austria

quidem socia hostem Francicum a finibus arcere potuerit.

Maxima, quae ex hoc bello in Europae conditione exstitit mutatio, illud sine dubio fuit, quod Borussia in principum Regnorum ordinem progressa sit. Creverat jam ita auctoritate, ut Cardinalis DE FLEURY Regem FREDERICUM Europae arbitrum appellare non dubitaret. Sed recentius adhuc erat Regnum Borussicum nec satis videbatur stabilitum, ut hos damni accepti recordatio laesaque dignitas, illos, quae nascentem soleat potentiam persequi, invidia in spem FREDERICI in pristinam conditionem rejiciendi non inducerent. Perfecto demum bello septenni firma stetit monarchia Borussica.

THESES.

I.

In lege pen. ff. de cond. caus. dat. c. n. s. pro *Praefecto Vigilum* legendus est *Praefectus Urbis.*

II.

Apud legatum Proconsulis manumissio non fieri poterat.

III.

Non est antinomia inter l. 10. ff. de jurisd. et l. 77 ff. de judic.

IV.

L. 21 § ult. ff. de acq. hered. non pugnat cum l. 21 ff. de condit. et demonstr.

V.

Jure Francico parentes non possunt adoptare liberos naturales, quos agnoverunt.

VI.

Laudanda est adoptionis et tutelae officiosae abrogatio jure nostro novissimo.

VII.

Testator jus habet majus vel minus quam anni unius spatium statuendi, intra quod exsecutores testamentarii bonorum successionis possessionem retineant.

VIII.

Optimo consilio in C. C. Belgico nulla mentio fit venditionis ob laesionem enormem rescindendae.

IX.

Ut bellum legitimum sit, non necessaria est belli indictio.

X.

Foedus propugnaculi Reip. nostrae fore inutile, jam ab initio provideri potuit.